
13





Biblioteca dell'Istituto Botanico
dell'Università - Bari
Serie VC. N. 268
Scaffale 9
Piano H
N. 14


V.30.
BIBLIOTECA
D
II
2
LUDOLF
2
II
2




plantarum liquet nihil scalpelo [illegible] quam amico oculo
commendet [illegible] =P. Sabbati s. t. 20 =

N. d'inv. 9581

ISTITUTO DI BOTANICA
BARI
UNIVERSITÀ



Romae Typis Iacobi Mascardi Anno Iubilei. M.D.C.XXV. Superiorum permissu. L. C. F.



ILLVSTR.MO ET REV.MO D. D.

ODOARDO FARNESIO

S. R. E. CARD. AMPL.MO

EPISCOPO SABINENSI.

ECCE, Illustrissime & Reuerendissime Princeps, icones aliquot rariorum quarundam stirpium, quæ in amenissimo exoticarum omnisq. generis nostratum insigniorum plantarum refertissimo tuo aluntur, colunturq. Horto, immensis curis, laboribus, atque expensis, tanta liberalitate, tantáq. magnificentia Sereniſſimæ familiæ innata; quibus suas etiam adiunxi Historias; quasdam quidem exactas, & prolixas, prout rei dignitas postulabat, & Auctorum veterum controuersię; quasdam verò perspicua breuitate denotatas. Paucas certè exhibeo otij penuria, quàs, otium tamen Hermetica inter opera quandoque nactus (si otium dici mœretur continua lucubratio circa furnulos, & dum ignis ardetq. agitq. ipse indefessus, propè illum sedendo, standoue calamo aliquod Botanicum furtim animi gratia exarare) paulatim, longóq. intermedio tempore consarcinare licuit. Hoc qualecunque sit opus, nunc affero, offero, propono, reddouè, donare nequeo, quia tuum quod est, tibi dono dari non

dicitur. Iam diu enim à quo tempore in tuam fui ſuſceptus ſeruitutem, me totum tibi dedi, dicaui, & conſecraui: Sic omne opus mei tum animi, tum corporis, tuum eſt, tibi debetur, ad te ſpectat. Suſcipe igitur, Illuſtriſſime, & Reuerendiſſime Princeps, ea, qua ſoles alia mea fouere, alacritate, tuummeum, & meumtuum hoc qualecunque publici iuris factum opuſculum, vt ſignum mei erga exoticas plantas amoris; deſiderij ad diſciplinas acquirendas; nec non affectus, quibus poſſum actibus, virtutum ſtudioſis inſeruiendi; ſed præcipuè, vt monumentum fideliſſimæ ſeruitutis erga te meæ, Sereniſſimamq. familiam tuam. Nil aliud addam, ne adulatoris munere fungi velle ſeruum, ac mancipium tuum ſuſpicio vlla inſurgat. Tantum reſtat, vt Deum Opt. Max. tibi Neſtoreos tribuere dignetur annos, ſupplicem, quod ex animo iterum, atque iterum oro, Vale felix ex Muſeo Hermeticáq. officina ædium tuarum Romanarum Anno Salutis 1623. Kal. Martij.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dominationis Tuæ, ac Sereniſsimæ Familiæ

Seruus Humillimus

Tobias Aldinus.

AD

AD AVCTOREM ERVDITISSIMVM.

IACOBVS CORN. LVMMENÆVS A MARCA RELIG. SACERDOS BENEDICT. BELGA.

PODALYRIVS quæ scribit Heros abdita,
Et vulgat Orbi nomina omniparæ Psyches,
Tunc, cùm profundo pectore imbuerat sophos,
Rerumq. ab vsu cautus haud sciuit nihil,
Vindex malorum sæculi, & rapti ætheris
Suspecta nimium furta defendit reis.
Cretus petra mèliore Castello-Petrus,
Audax verenda sacra naturæ sequi,
Sublimia ista ruminans, melius quoque
Tractare potuit, rerum & abstrusas nimis
Eruere caussas, & suus quis sit vigor
Lectis, ab Indorum vltimis, plantarijs,
Ludente Genio, talis est lusus tibi;

Vsu laborem vincere, & ludere tamen:
Sic lucubrare & ludere ex æquo potes,
Romana pubes debet hoc opus tibi,
Opus dicatum Heroibus FARNESIIS;
Magnis Patronis artium, augustum genus
Austriadum ab ipsa stirpe quos clarat nimis,
Non poterat illo melius auspicium legi,
Vt nulla melior esse lucubratio:
Sic nil Patrono melius & scripto nihil.

TY-

TYPOGRAPHVS LECTORI.

EQuidem Generose lector tibi verè indicare possum Operis huius auctori iustis de causis placuisse externo nunc nomine paucas has in publicum exhibere Plantas, quas Epistolæ subsequentur non paucæ, nec pauci momenti, ob varietatem, & subtilitatem. Tu benigne lector interim hæc hilari excipe fronte. Reliqua in diem expecta, quæ sub prælo habeo, & præstolanti ignosce. Varietate te delectare auctori in animo fuit. Seruat tamen sibi plurima, quæ tibi communicare etiam breui censet (fauente Cœlo) Auctor noster, indefessi vir laboris, & diligentiæ incredibilis, Si hæc placebunt, si benigne excipies, auctoremq. ipsum recognosces. (Tironis enim non sunt primitiæ) Emittet profecto altiora, & suo digna nomine. Lege interim attentè, (moneo) plantas. Leges breui iucundè (polliceor) epistolas. Vno quidem eodemq.

(vt

(vt agnoſces) expreſſa, ſtilo, caracterevè noſtro. Si auctori gratus non eris, ſi mentem ipſius non intelliges, neque ſcribentem, ac auctorem ipſum, ſi verè agnoſcere negliges: ingratum te dicam, craſſum, & prorſus negligentem. mihi vero, ergomet ipſe ſumme gratulor contigiſſe IN GRATIAM viri amiciſſimi TOBIAE ALDINI typis meis hęc exarare, ac functus ſum amici officio: tu verò lege, & lecta animo reuolue, abſtrahe, & collige, mentem, caracteresvè maiores. SCRIPSI CVNCTA.

AD STVDIOSOS BOTANICOS.

PAVCAS quidem in præsenti vobis exhibemus plantas (benigni lectores) breui tamen plura dauturi. Etenim quanquam plures, rariores q. in Horto Farnesiano colantur stirpes, quarundam tamen expectamus flores, & fructus, vt completè, in lucem propellamus, quasdam verò, otij penuria, nec dum descripsimus, nec minus pingi curauimus: At breui (iterum inquam) plura nos dauros speramus, tum ex his quæ iam actu colimus, tum etiam quia proximis his diebus Illustrissimo Principi meo ex Indijs missa sunt, & semina plurima vltra centenarium numerum, & bulbos non paucos, quæ si solum nostrum alere non indignabitur publico non inuidebimus, faxit Deus vt prospera sint, & Clementissimo Heroi meo, & vobis, & mihi, & plantis nostris, prout opto, omnia.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.

A. Epiſc. Hierac. Vicesg.

EX *Reuerendiſſimi P. Fr. Nicolai Rodulfij Sacri Palatij Apoſt. Magiſtri Mandato. Ego infraſcriptus diligenter legi opus inſcriptum.* Exactiſſima deſcriptio rariorum quarundam Plantarum, quæ continentur in Horto Farneſiano Tobia Aldino Cesenate Auctore. *In quo nihil inueni, quod S. R. Eccleſiæ, aut bonis Moribus aduerſetur. ſed ſumma eruditione plenum, dignumq. vt in vtilitatem Reipub. Medicæ exponatur iudico, in quorum fidem &c. hac die 5. Iunij 1623.*

Ego Benedictus Auerrinus Med. Phyſicus.

Imprimatur.
Fr. Vincentius Martinellus Mag. & Socius Reuerendiſſimi P. Fr. Nicolai Rodulfij Ord. Prædicatorum, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri.

IN-

INDEX
CAPITVM HVIVS OPERIS.

De	ACACIA.	cap. 1.	fol. 3
	Descriptio arboris Acaciæ Farnesianę.	sect. 1.	3
	Æquiparatio cum Græcorum Acacia.	sect. 2.	7
	De Vsu Acaciæ Ægyptiæ.	sect. 3.	25
De	Hyiucca Canedana.	cap. 2.	33
	Historia, & descriptio Hyiuccæ Canedanę.	sect. 1.	33
	Censura aliarum de Hyiucca relationum.	sect. 2.	36
	De Pane Hyiuccæ Mexicanæ.	sect. 3.	38
	De succo Hyiuccæ.	sect. 4.	41
De	Maracot.	cap. 3.	49
	Descriptio Plantæ Maracot.	sect. 1.	49
	De fructu Maracot.	sect. 2.	57
De	Lauro Indica.	cap. 4.	61
De	Hololiuchi.	cap. 5.	71
De	Glande Vnguentaria.	cap. 6.	73
De	Lilionarciſſo rubeo Indico.	cap. 7.	83
De	Spinacibus fragiferis.	cap. 8.	85
De	Ricino Americano.	cap. 9.	87
De	Campanula Exotica.	cap. 10.	89
De	Caryophillo Spicato.	cap. 11.	91
De	Solis flore tuberoſo.	cap. 12.	91
De	Helleboro nigro trifoliato.	cap. 13.	93
De	Aloe Americana Florida.	cap. 14.	95
De	Narciſſo Calcedonico prolifero.	cap. 15.	97
De	Caryophillo prolifero.	cap. 16.	97

IN-

INDEX

Figurarum, quæ sunt in hoc opere.

ACACIA Farnesiana. pag. 2
Acaciæ Indicæ, folia, flores, & siliquæ. 4
Acaciæ nostræ Indicæ lobus. 7
Acaciæ Aegyptiæ lobus. 16
Acaciæ fructus Bellunensis. 17
Hyiucca Canedana. 32
Flores Hyiuccæ Canedanæ. 34
Folia Hyiuccæ Mexicanæ. 38
Panis Hyiuccæ Mexicanæ. 40
Maracot Indicum. 50
Flores Maracot. 52
Fructus Maracot. 58
Laurus Indica. 60
Folium, & Baculum Cannellæ. 68
Hololiuchi. 70
Balanus Myrepsica. 72
Folium glandis Vnguentariæ. 74
Vas pro conficiendo Oleo odorato. 79
Lilionarcissus Rubeus Indicus. 82
Spinacia Fragifera. 84
Ricinus Americanus. 86
Campanula Exotica. 88
Garyophillus Spicatus. 90
Helleborus niger trifoliatus. 92
Aloes Americana florida. 94
Aloes flos, & fructus. 96
Narcissies Calcedonicus Proliferus.
Garyophillus proliferus.

HORTI FARNESIANI
RARIORES PLANTAE
EXACTISSIME DESCRIPTAE
A TOBIA ALDINO CESENATE
Spagyrico, & eiusdem Horti Præfecto.

Ac Illustrissimi, & Reuerendissimi Principis sui à Cubiculo.

MIRABITVR fortasse, qui hæc nostra aspiciet, me ex innumeris plantis, quæ in Horto Illustris. Principis mei coluntur, paucas tantùm mihi describendas proposuisse. Fateor multa ibi adesse, hic desiderari multa, flores præcipuè rariores, & nondùm descriptos, vt inter bulbaceorum, & tuberosorum genera, necnon inter herbaceorum, suffructicum, fructicum, atq. Arborum, raras, multas, & hucusq. à nemine descriptas species. Quia tamen, nec otium datur hęc (chimiæ in totum addicto, & occupato) describendi, nec intentio est, nisi Indicas adultiores afferre plantas, benigni Lectores id æqui boniq. consulent; sed non deerunt Critici, ac Momi, qui prolixitatem accusabunt, quibus respõdemus, nos non scripsisse, & promisisse breuem descriptionem; sed exactissimam: cum autem breue, & exactum simùl esse nequeant, prolixitatem non respui. Adde nos non simplicem hic plantarum quarũdam dare Historiam, sed Philosophicam, Medicamquè simùl Historiam, quæ paucis verbis comprehendi nequit. Verùm cùm simplices, nec controuersas Plantas tradimus, nos quoque breues benignus reperiet lector.

ACACIA INDICA FARNESIANA.



DE ACACIA

CAPVT PRIMVM.

Descriptio Arboris Acaciæ Farnesianæ.

SECTIO PRIMA.

PLVRES Acaciæ plantas alit, Illustrissimi Principis, & Cardinalis Domini mei semper Clementissimi Romanus Hortus, (non alter, quod sciam, in tota Italia vna excepta planta, quam benè adultam, & cùm sua terra in apto vase plantatam, adhùc florentem, Serenissimo Aetruriæ magno Duci dono mitti iussit superiore Anno Illustrissimus, & Reuerendissimus Princeps meus) semen ab Insula S. Dominici dicta (aliàs insula *Spagnola*) propè Mexicum transmissum fuerat, plantæ autèm nobis ortæ Anno Saluatoris nostri 1611. Harum Arborea magnitudo nunc Auellanam, seu Nucem Ponticam dictam æquat, & superat, altitudine quippè dimensa ad cubitos duodecim, & procerior quælibet esset, nisi præteritis annis Hybernum frigus valde læsisset: Caudicis autem crassities semipalmum suo continet diametro; Atquè sua etiam figura, & cortice, dictam nuper æmularetur omninò nucem, si aculeis careret, dùm scilicèt sine foliis spectatur, Hyemali nimirùm tempore, seù à Decembri mense, quo decidunt frondes, vsquè ad Maij initium, quo germinare incipit Arbos. Rami insunt longi, alti, atquè erecti; sed iuncturis haud in rectum sibi respondentibus, fractu contumaces, & flexiles, cortice leui, lenique, vt Auellana. At Ramusculi nouelli, ea quidem, qua humum spectant, vel Septentrionem parte, viridicinerei; sicuti superiore, Soliquè appositi, obscurè rubentes, atque albis punctis commaculati apparent, qui tandem solidiores effecti, cinerei, cùm diluto virore, toti visuntur. Folia Maio mense alternatim in ra-

Acaciæ plan ta Magno Duci Aetruriæ missa.

Plantæ Acaciæ figura.

Foliorum Acaciæ descriptio.

ACACIAE INDICAE FOLIA, FLORES, ET SILIQVAE.



mis, modò ex vna parte, modò ex altera, antè primos flores, eluceſcunt, ramoſa, pennataq. Filicis fœminæ in modum, non vniformiter tamen; nàm alia quatuor, alia quinque, ſex, ſeptem, & alia octo pro quolibet latere ſunt prædita ramulis, ſed paribus ſemper numero, ita vt nunquam ſummitas, ac in Filice dicta, vno deſinat folij ramuſculo, in quorum vno quoque parua, oblongaue ſunt foliola viridia, inſtar foliorum lentium, vel Aphacæ, inuicem oppoſita, ſe ſe ex ordine contingentia, & quæ poſt Solis ortum extenduntur, expanſaquè remanent vſquè ad Veſperas, clauduntur verò ſe inuicem cùm oppoſitis conduplicata, paulò antè Solis occaſum.

Aculei cuilibet folio, in lateribus pediculi connaſcuntur bini, initio colore carneo, poſteà albeſcentes, validi, vnciam, & ampliùs longi, qui remanent diù in ramis, & caudice, etiàm decidentibus folijs. Aculei Acaciæ.

Flos Quintilis menſis initio apud nos poſtquàm folia pauca ex veteri ligno emerſerunt, apparet, non quidem in multa copia, ſed qui fructum perficiat: Septembre autèm incipiente, poſt plurima etiàm alia enata folia, iterùm floret copioſè ex nouellis ſurculis: at minimè ſiliquas ex his poſterioribus copioſiſsimis floribus nobis ſpectare licet, fortè ob frigus inſequens, nàm Alpinus bis in anno Acaciam in Aegypto fructus ferre, & maturare ſcripſit. Verni flores pauciores ſunt numero, & ſingulatim oriuntur, breuiſque annectuntur pediculo: Autumnales verò copioſiſſimi (vt dixi) prodeunt; atque tres, quatuor, quinque, vel ſex propè orti, & quaſi ſimùl, longoque pediculo pendentes hærent, cæterò non differunt. Porrò flos iſte cùm paruulus eſt viridi cernitur colore, paruamq; figura imitatur fragam, deindè luteſcit, & poſt duos, vel tres dies albeſcens, ſit cano hominis capillo haud abſimilis, paruæ etiam pilæ in modum eſt rotundus, apparetq; quodàmmodo tomentoſus, ac lanuginoſus, quaſi ex pluribus flocculis conſarcinatus: ſed re vera à medio prodeunt infinita quædam mirùm in modum tenuiſſima filamenta, in ſummo luteum apicem, paruum, rotundumq; ac arenæ granulo ſimilem habentia, quæ circumpoſita cùm ſuis appendiculis, globum luteum efformant fructus Ceraſi magnitudine, & figura. Adhùc autèm exactiùs hunc florem examinans reperi parua, & oblonga Vaſcula (ſeu potiùs Calículos) optimè ſimul conſarcta in perfectam rotunditatem, numero aliquando 95. 100. & 110. & plùs, & minùs, quæ omnia occluſa, ſunt viridia, aperta verò, ſcilicet cùm effloreſcunt, ſingula quælibet 40. vel 50. tenuiſſima, breuiaq;, & lutea filamenta, (ſeù capillamenta, aut potiùs pilos) in ſummo ſortita paruulum granum luteum pro Apice, continent, atque emittunt. Sapore eſt flos iſte parùm aſtringenti cùm leuicula quadam amaritudine. Odor verò datus eſt gratus, & ſuauis, nec De floribus Acaciæ. Flores Verni. Flores Autumnales. Exacta floris inſpectio.


dissimilis ab eo, qui in lutea Viola, vulgo Keiri dicta, sentitur, at paulò acutior: Odoremq; suum siccatus flos diù pertinaciter retinet, mira etiam suauitate. Floresćens arbor primùm toto Iulio menśe visitur, & iterùm śecundo toto Septembri, atquè Octobri, & nunc etiam Decembri: non tamen eodem śimùl tempore vigentibus omnibus floribus, verùm śucceśśiuè. Atque etiam vidimus iśtos flores (qui fructum non produxerint) śiccari in śua planta, appenśośq. remanere śuæ Arbori vśquè ad Ver inśequens, folia verò nośtrarum plantarum decidunt penitus omnia Hyeme, nudaq. śpectatur Arbos vśque ad menśem Maij. Florere autem apud nos cœperunt ab indico śemine enatæ hæ plantæ pośt triennium ab ortu śuo.

Siliquæ Acaciæ. Siliquæ á floris centro prodeunt numero variæ, śolitariæ interdum, aliquando verò binæ, ternæ, quaternæ, & śenæ, śeptenæ, & denæ etiam, nec rarò etiam plures, ab vno eodemq. flore. Cùm enim ortum ducant śiliquæ ab illis vaśculis in flore dictis, quæ cum centena quandoq. numerauerimus, nec etiá erit impośśibile ab vno globośo tantum flore centum oriri śiliquas: pośitu autem, figuraque śimillimæ conśpiciuntur Piperi Æthiopico á Matthiolo deścripto, & figurato; śed śapore, & internis śeminibus differunt, vt animaduertimus śedulò aliquoties. Præterea nośtræ Acaciæ śiliquæ primo śunt virides, maturæ nigerrimæ, atque dùm paruæ śunt śapore adśtringentiśśimo guśtantur, & śunt contortæ, & rotundiores, ac veluti cornicula: matureścentes verò diminuto aśtringenti, acris in cortice śentitur magis śapor: maturæ denique figura & magnitudine Lupinorum śiliquas æmulantur, aliquantùm contortas, longæ śunt śex vncias, digiti minoris craśśitie, rotundiuśculæ, & tuberculośæ, ob śemina incluśa, cortex śiccus validus eśt.

De Seminibus. Semina Carobiæ, śeu Śiliquæ vulgaris śeminibus śunt śimilia cùm śunt matura, dura, atq. nigra; immatura verò viridia śunt, & Piśeoli magnitudine, ac figura; śed non rotunda, quam longiuśculam hæc habent, duro cortice, vt dixi śemina prædita śunt, śubśtantia verò interna in duas partes eśt diuiśibilis leguminum more. Sed mirùm, huius Acaciæ śemen vnum tantùm paululum ore manśum adeo calefacit os, & palatum, atque Allij odorem adeò imitatur, ac taliter eo odore os inficit, vt etiam à longè mirè fœteat halitus eius, qui huiuśmodi śemen parùm manśerit. Hinc dixit Petrus Caśtellus iśto deguśtato hanc Arborem appellari pośśe Allium, vel Moli Arboreum. Semina autem in quolibet lobo plura śunt, & varia numero, modo plura, modo pauciora, & śine ordine in śua śiliqua pośita, & confarcta, vt patet in picto lobo cultri acuta acie per tranśuerśum śecto, śeminibus etiam tranśuerśè inciśis, atque interpośita eśt śubśtantia quædam candidæ, & leuis.

Odor Allij.

ACACIAE NOSTRAE INDICAE LOBVS.



Radix vna est recta, & profunda valde, à qua radiculæ plures prodeunt, Autumno quum arbor est humore turgens, & florida, radix ipsa succosa est etiam magis, & confracta odore quodam valido nares ferit, qui quodammodo brassicam contusam, putrescentemque à longè olet. lignea arboris pars dura est, albescens, inodora, & insipida, in centro medullam, seù animam paruam, nigram, & duram habens.

Acaciæ Radix.

Aequiparatio cum Græcorum Acacia.

SECTIO SECVNDA.

CONFERENDA est nostra planta cum ea spina, quæ à Veteribus paucis notis designatur, difficultatesque aliquot emergentes agitandæ, vt clarè peteat nostræ plantæ vera essentia. Acaciam autem vocari scribit ab Ægyptijs Alpinus Sant, & Kakian.

In primis legitur apud Theophrast. lib. 4. de Hist. Plant. cap. 3. *Magnitudine excellit, materies quippe duodenorum cubitorum, tectis idonea creditur.* & paulo post subdit. *Erecta non valde assurgit* Dioscorides autem. *Acacia* (inquit) *in Aegypto nascitur instar Arboris fruticosa, non se in rectũ attollens.* à quo non dissentit Oribasius dum scribit. *Spina est Arborescens, non recta in altum crescens.* At videntur hoc loco Græci opponi inuicem. Arborem facit Theophrastus magnitudine excedentem, tectis idoneam, nauiumque fabricis aptam. Contra Dioscorides non δένδρον dixit; sed diminutè Ἀκανθα δὲ ἔστι δενδρύδιον, θαμνοειδὲς, dicens: Arbusculam appellat.

Discordia Græcorum.

Certum autem est Arbusculas non esse aptas sua tenui materia ad vsus à Theophrasto scriptos. nam Atheneus etiam Δενδροφορικῶν lib. 15. cap. 20. *Spinam Arborem* vocauit.

Solutio. Sed fortasse facilè responderi potest, si dicemus arborem hanc natura quidem sua esse fructicosam, & ob multiplicem adnatam prolem difficulter posse in arboream magnitudine excedentem molem assurgere: sed si stolones, & surculi à radicibus prodeuntes auellerentur, qui alioquì multiplicati matri, & inuicem sibi alimentum eripiunt, quo fit vt crescant tantum ad fructicis, & paruæ arbusculæ altitudinem; si (inquam) Caudex tantùm singularis demptis continuò nouellis surculis remanserit, non erit dubium, quin magnitudine excedere arbor illa possit, qua arte Tamariscus, Lentiscus, Mirtus, Salix, & huiusmodi alia arboream acquirunt magnitudinem, alioqui natura sua fructicosa; immo id continuò spectamus in Auellanis, Punicis, & ficubus; quorum incrementũ prohibetur á multis ab radice stolonibus, notumq. agricolis est ortos ad radices arborum omnium surculos, filiosque matri, non modo incrementũ, sed etiam fructum eripere. Nostra autem arbos valde à radice est fructicosa copiosaque ab ea producit germina; sed Olitoris diligentia sæpe ablata, impedimento non fuerunt, quin ad dictam magnitudinem peruenerit.

Nostra Acacia fructicosa.

Acaciæ Arbor contorta. In eo autem, quod scribit Dioscorides οὐκ ἀβοτρύτ. cùm Theophrasto sentit, nimirum hanc Arborem erectam non valde assurgere. Non se in rectum attollere, quod confirmauit Prosper Alpinus libro de Plantis Ægypti. *Crescunt* (inquit) *ad mori magnitudinem* (obscurùm, an intelligat de moro Ægyptia) *ramosque sursum latius expandens: quod etiam Dioscorides admonuit, dicens arborem non in rectum se attollere. Caudex quanta est Pruni magnitudo cernitur, Corticemque habet nigrum & asperum.* Quæ quidem haud videntur consentire aspectui nostræ Acaciæ, quæ recta assurgit, ramosque rectos in altum tendentes profert, leni est cortice, cinereoq; ligno albo, (quamuis cor, quod paruum est, nigrius appareat) nec spectatur contorta, nigro asperoq; cortice, immo Acaciam debere habere ramos contortos coronæ in modum refert Atheneus loco citato, ex Demetrio scribente has spinas esse circa Abylum ciuitatem Ægypti, & appellauit simpliciter spinam, vti etiam fecit Theophrastus: itaq; scribit Atheneus. *Habet Spinam quandam Arborem locus inferior, quæ fructum* (intelligo florem) *rotundum producit, ex ramulis quibusdam circularibus, floret hæc spina vbi est Ver, flosq. colore est obscuro.* Addit fabulam Atheneus aiens. *Narratur fabula quædam ab Aegyptijs, quod, cum Aethiopes in Troiam proficiscerentur sub imperio Tithonis, vbi mortuum esse Memnonem audiuerunt, in eodem loco coronas abiecerunt in spinas, sunt autem ramuli, ex quibus flos emit-*

Dubitatio.

Atheneus de Acacia.

titur

titur Coronis persimiles. Aliam etiam affert fabulam scribens. *De semper florentibus coronis in Aegypto ita scriptum reliquit Hellanicus in rebus Aegyptijs: Ciuitas est fluuiatilis nomine Tindium, vbi Deorum fit concilium, atque in media ipsa Ciuitate Templum purum, ac magnificum ex lapidibus conspicitur: tum etiam extra Templum ipsum vestibula sunt lapidea, spinaq. candidæ, ac nigræ nascantur, quarum in superiorem spinæ partem, coronæ ex mali punicæ, vitisque flore compositæ proijciuntur, atq. hæ semper florent. Coronas Dei in Aegypto eo tempore deposuerunt, quo intellexerant Babym, idest Typhonem regnaturum.* Ad hæc dicere licebit, duplicem reperiri Acaciæ, seu Spinæ genus teste Theophrasto. lib. 4. de Hist. plant. c. 3. *Eius* (inquit) *duo genera sunt, quædam enim candida, quædam nigra, & altera imbecillis, facileq. putrescens, nigra autem robustior, atque incorrupta, ob id in nauium fabricas ad costas, ventrisq. compagines ea vtuntur, erecta non valde assurgit.* confirmauit id Plinius lib. 13. cap. 9. *Nigra* (inquiens) *incorrupta etiam in aquis durat, ob id vtilissima Nauium costis. Candida facile putrescit.* sed lib. 24. cap. 12. addidit tertium genus, cum scripsit. *Acacia fit in Aegypto alba, nigraq. arbore, item viridi, sed longè melior e prioribus.* Distinctio autem albæ, & nigræ non videtur sumenda ex flore, vel fructu; sed ex ipsa Arbore, sic omnes Arborem dicunt albam, vel nigram, scilicet corticem Arboris, vt Alpinus dixit. Fortè etiam ligni materia talis est. ipse vero Alpinus Marem, & fœminam facit. vnde mirum est Dioscoridem, qui in Ægypto ipse fuit, & amicus ibi Antonij, atque Cleopatræ Reginæ, vt Suidas refert, vnum tantum Ægyptiæ Acaciæ genus adnotasse. Nos ex mox dictis ad difficultatem propositam respondebimus, nigram spinam, seu marem esse illam, quæ in rectum non assurgit; sed contortis ramis, vt clarè patet ex verbis Theophrasti, & illam intellexit Dioscorides, atque nostram Acaciam (quamuis non ex Ægypto, sed ex insula sancti Dominici, vt dixi, nobis fuerit allata) esse illorum Spinam, seu Acantham albam, (at diuersam à dicta Leucacantha, quę herba est) dicemus: Et quas vidit in Aegypto Alpinus arbores fortè annosiores fuisse, vel nigrę Acaciæ, seu Maris. dicemus etiam nostræ Arboris ramos non esse omnino rectos, quamuis recta sursum tendant: nam rami non sunt rectilinei, cùm quælibet iunctura, à qua folium exiuit, rectitudine cùm altera socia non respondeat, sed parum ad latus declinet, reflectatur, & angulescat (vt ita dicam) vnde ramuli sunt aliquantum obliqui, hinc, inde, deflectentes, quasi serpentes, & contorti: ob id fortasse dixere è Auctores arborem non in rectum assurgere: & quia etiam facile flexibiles in coronam sunt, hinc Atheneus in Coronæ modum contortos ramos florentes ferre memorauit. At fortè in India, Arabia, & Aegypto idem plantæ genus ramos magis cõtortos, quam in Italia fert. id fortasse acci-

dit

De Coronis.

Duplex Acacia, candida, & nigra.

Responsio.

Vt intelligantur rami contorti.

In Aula Cardinalis Farnesij sūt duo hirsutes pilosi

dit ob Cœli temperiem magis frigidam, vnde cortex minus niger, rami minus contorti, & minus aculeata Arbor spectatur, eodem ferè pacto, ac Aethiopum nigrorum albescere filios, in Gallia, & Italia videmus, sic videmus pilosos homines, (quorum aliqui, ex Canarijs insulis adducti in magnifica Illustrissimi Principis mei Aula commorantur inter alia mirabilia) filios producere paulatim a genitoribus pilorum copia degenerantes. idcirco sicut capilli, & pili copiosiores, robustiores, & valde intorti, & circinnati sunt hominibus calidæ, & siccæ cōplexionis, & habitantibus regiones summè calidas, & siccas, qui postea mutatione temperiei mitescunt, & plurimum variant, idem de plantis, & in præsenti de nostra Acacia imaginandum. quantum autem cultura, & cœli mutatione varient, & degenerent plantæ pluribus docent B. Marantha. & Io Costeus in Meth. simpl. & alij. Quoniam verò Acaciæ Aegyptiæ icon est quidem apud Prosperum Alpinum, sed ipsius arboris rudis admodum est etiam altera effigies apud Bellonium lib. 2. Obs. cap. 56. non minus inepta, ob eam causam hoc loco ex viua planta indica, optimè delineatam proponere libuit ideam veram. Vt autem meam etiam afferam sententiam de Icone illa Acaciæ primæ à Matthiolo in suis doctissimis commentarijs posita, certùm esse affirmabo non assimilari legitimæ Acaciæ, & nihil aliud videri, nisi Arborem Iudæ Herbarijs dictam, quæ Clusij siluestris est Siliqua, additis tantum spinis, vt Botanici omnes consentiunt, & ex eius figura, atque descriptione clarè patet. sed fortè erit species Arboris Iudæ spinosa, quod non videtur impossibile, cùm etiam cappares spinosi in Aphrica proueniant, (teste Dioscoride) non apud nos Romæ. Rubus etiam sine vllis spinis, quem sancti Francisci vocant, hic Romæ fructicat. Sunt & aliæ Plantæ, quæ nihil inter se differunt, nisi spinis. Si Matthiolo falsa imago oblata est, fidem ipse ab Auctore requirit: ab alio acceptam refert: dedit ipse quam accepit imaginem, & equidem ægrè tulissem, si scripsisset, se quandam habuisse Acaciæ picturam, quam noluisse ostendere, quia plantam non viderat. Nec in animū cadere vllo pacto potest eruditissimum, integerrimumq. Virum suo Marte illam effinxisse, vt Quadramius, & alij eius æmuli in Lunam latrantes obijciunt. Quare non dicam esse imaginariam, vt malè Pharmacarius Pona illi exprobrat, qui primam Antiquorum Acaciam (vt libri sui moles augeretur) se vidisse in Monte Baldo scribere ausus est, quam fortè vix vidit in Prosperi Alpini libello. Sed magis miror, Fabium Columnam similia etiam Matthiolo imposuisse, non solum cap. de Faba Aegyptia, sed etiam de Ephemero scribentem: *id solere Matthiolum*. quod facilius ipsi obijci potest, qui ex se ipso Plantas à se (quod ego aliàs valde laudo) impressas,

Cultura variant Plantę.

Iudicium de icone Acaciæ Mattioli

Defensio Mattioli.

Fabius Columna iniustè accusat Mattiolum.

delineat,

delineat, & exculpit, nec est, vt magis Columnæ, alteriuè, quam Matthiolo credam. At nullo probato Auctori similem falsitatis notam inurendam tàm facilè iudico. Scribit Matthiolus Ephemerum se collegisse in Ananiensibus montibus, appellariq; ab Incolis *Giglio Matto*. si Columna non vidit Matthioli Ephemerum in Cirinolanis montibus, quæ culpa est Matthioli? debuisset perquirere Ananienses montes, & à rusticis percontari illud lilium stultum, alioqui hæc non expertus, multum dicit, & nihil dicit. Dodoneus verò Animo sincerior Ephemerum Matthioli aliter delineatum proponit, & culpam in pictorem, non in Matthiolum reijcit. Sic etiam Fabam Aegyptiam testatus est Matthiolus se vidisse apud Odoardum Polonum (credo siccam, vel pictam) Syriam, & Aegyptum peragratum: si nondum talem vidit plantam, noster Columna, quid mirum? eas Regiones nequè etiam vidit. Delineauit quidem Columna Arum Aegyptium cùm flore: at si fides non est habenda, nisi ijs, quæ videmus ipsi, & pictas imagines sæpe pro Auctorum arbitrio fictas sensserimus? cur credam Arum Aegyptium apud Columnam floruisse, si ego nunquam vidi talem plantam cum flore? si Matthiolus, Dodoneus, Clusius, Cesalpinus, Anguillara, Guillandinus, floridam non viderunt? nec alius quisquam vidit? si Alpinus, qui in Aegypto diù vixit, vbi spontè, & in maxima prouenit copia nusquam florentem vidit? nec quenquam vidisse audiuit? Credidero equidem, nisi vidisset Columna, non picturum fuisse: sed quis me certiorem facit, ipsum non fuisse delusum ab illis Aromatarijs, apud quos Arum Aegyptium cum flore se vidisse, scribit, non nè poterant (quæ est humana calliditas) Ari vulgaris flores adaptare artificiosè? vt aliàs in alijs plantis à deceptoribus factum scimus. At id Columnæ non obijciam ego, qui scio, scripsisse Marantam lib. 2. Meth. cap. 7. sibi missum huius florem à Luca Ghino, qui, præter magnitudinem, nullam ab Ari flore dissimilitudinem habebat. Sed ad Acaciam. habuisse credo Matthiolum ab illo Mercatore eam Acaciæ figuram, quæ cum Dioscoridis Acacia minimè quidem quadrat, at à Mercatore fictam esse, nec est quod credam, quid enim prohibet reperiri similem plantam in India, Arabia, alijsque remotis Regionibus? Clusius censuit, Iconem arboris Coral, cum illa Matthioli Acaciæ, aliquo modo conuenire, sed pictoris forsan vitio differre. Exemplum sit floris Maracot figura, in qua Pictores quantum à veritate deuiauerint, qui nostram cum aliorum iconibus conferet, manifestè agnoscet.

Turela Matthiol.

Dubium de plantis Columnæ.

Maranta suffragatur Columnæ.

At hoc loco scribit Dioscorides. *Acacia in Aegypto nascitur*, ob id Alpinus *Huiusmodi* (inquit) *planta genus non ex Gracia, vt Andreas Matthiolus Bizantio se accepisse ait, in quo tamen non parum deceptus fuit: sed ab*

Defenditur Matthiolus à Calumnia Alpini.

Aegy-

Aegypto foret petendum in qua omnes scriptores Acaciam prouenire affirmarunt. Equidem iterum assero Acaciam à Matthiolo impressam non esse genuinam Acaciam Aegyptiam Græcorum: sed Matthiolus non est falsitatis redarguendus, ipse accepit à Mercatore iconem. An lex est Auctores non debere scribere, nisi quæ viderint ipsi? Dioscorides quidem scribit initio suorum librorum. Se traditurum plurima, quæ ipse exactè viderit, quædam etiam ex aliorum relatione. At quot affert Theophrastus, quot Plinius? quibus quia, & ipsi forsan paucam habebant fidem, Auctores citant, & illis fidem præstari volunt. Nos si Dodonei consideraverimus Nasturtij Indici Iconem sibi (vt ait) transmissam, multum ab eo, quod apud nos nascitur distabit, quid si imaginaremur aliam esse speciem? vel cæli aspectu variantem, vel pictoris insciția? ponit etiam Tigridis figuram nusquâ ab eo, nec à nostrum vllo visam. an dicemus Dodoneum eam finxisse? Sed quod magis est exhibet idem bulbi Eriophori imaginem cum flore quodam Tomentaceo, non dixero tamen falsam, quamuis aliter de Visu pingat Clusius, & nos vidimus (testibus Petro Castello, & Henrico Coruino Botanicis Romanis) aliquoties florentem, spicato flore, vti squilla, atque stellato, sed colore cœruleo, rarissimè autem florent hi bulbi, etiamsi plurimi, ob magnam fertilitatem in hortis apud Herbariæ studiosos reperiantur, ob quam florendi raritatem aliquem facilè afficere potuit libido florem illi bulbo suo Marte fingendi, eumq; Cortusio offerendi, qui deinde ipsum Dodoneo communicauerit. Sed magis inclinat animus, opinari aliam esse speciem. Itaq; quò diuerteram regressus non consentiam Matthiolum errasse eo, quod imaginem quandam Acaciæ nomine acceperit à Constantinopolitano, non ab Aegyptio quæsiuerit, non enim in Aegypto tantum oritur Acacia; sed alibi etiam, vt ipsemet testis erit Alpinus, qui scriptis reliquit. *Huius arbores copiosissimæ in Montibus Synai, penè rubrum mare, positis prouenient*. At mons Synai non est in Aegypto: sed in Arabia Petrea, postea subdit *in Montibus Arabiæ albos flores ferre*. Atque in Monte Synai, & Arabia quoq; Acaciam se reperisse testatur Bellonius lib. 2. obseru. cap. 54. 56. 60. 66. 68. 80. & circa Hierosolymam cap. 86. quæ est in Iudæa, & Palestina. Nostra autem Acacia nobis delata est ex Insula S. Dominici, quæ in India est propè Mexicum: licebat igitur Matthiolo, etiam ab Arabe, Iudæo, & Indo, non ab Aegyptio solùm, Acaciæ iconem accipere: sed nonnè Byzantium petunt Regis Turcarum sedem Aegyptij, Arabes, Syri, & aliæ Nationes plurimæ illi subiectæ? & cur Mercator Constantinopoli non potuit habuisse Acaciæ Aegyptiæ Ideam?

Altera Difficultas est, nam scripsit Dioscorides. Ἀκακία ἡ γνησία δένδρον ἐστὶ

Nasturtij Indici icon Dodonei variat in nostrate.

Flos Eriophori.

Vbi noscatur Acacia.

Difficultas de spinis Acaciæ.

Spina Arboris figura. Theoph. *Spina* (inquit) *ex eo nomẽ accepit, quod tota Arbos aculeis horret, excepto caudice, nã, & super germina, foliaq. aculeos gerit.* Spinã etiã appellauit simpliciter Atheneus. At scripsit Plinius *Aculeus spinarum, & in folijs.* Alpinus verò. *Caudex* (ait) *corticem habet multis acutissimis spinis munitum. Arbores, quæ in prædictis montibus spectantur spinis albis horridissimæ sunt.* Nostra Acacia non adeò spinosa videtur, nec gerit in folijs spinas; sed tantum in trunco circa foliorum latera binos pro singulo quoque folio producit aculeos, ita vt frondium pediculus in medio aculeorum locetur, quo decidente folio remanent ipsi Aculei albi, & non valde crassi, ac solidi, ideoq; plures apparent spinæ etiam superioris anni. Dicemus ergo Acaciæ non rectè ab Antiquis tribui aculeos in frondibus; sed fortè voluerunt singulis frondibus connasci aculeos, vt dixi, & ita optimè dicunt. At quia subdit Alpinus. *Huius Arboris Mas, atquè fœmina reperitur, Mas quidem spinis est horridus, fructus non edit, fœmina spinis paucioribus, mollioribusq; referta est, eaque intra ramos non habet, sed tantum extra*, ideò asserere licebit nostras Arbores, (quamuis indicæ sint,) quia fœcundissimæ, paucioribusq; aculeis præditæ sunt, referri posse ad Alpini Acacias fœminas, & albas Theophrasti, minus robustas, & tenuiores.

Acaciæ frondes non sunt Aculeatæ.

Tertiò de Flore videtur dubitandum, nàm scripsère Dioscorides, & Oribasius. *Ἄνθος ἔχουσα λευκὸν.* Athenæus vero *flos colore, est obscuro* scripsit. Theophrastus nihil de florum colore, nihil Plinius, cùm autem nostri flores lutei sint, non albi, vt voluere auctores dicti, quamuis tractu temporis langueſcentes postea albescant, canescantq; ideò colore differentes possent reijci. sed pauca est differentia cùm amborum colorum flores inueniantur, & forte fœmina, albauè spina luteum producit florem, mas verò, & nigra Theophrasti spina florem album fert, minimè verò semen. Vtriusq; coloris poterit esse testis Alpinus *Flores* (inquiens) *parui, pallidi, subflaui, atque etiam albos, rotundos, paruos lanæ floccos imitantes, platani fructibus forma planè similes, his tamen longe minores, & nihil aliud flos huiusce arboris videtur, quam mollis lanugo paruum, rotundumq; globulum efformans, non ingrati est odoris. Quæ Cayri aluntur, flores habent flauos, vel pallidos, quæ sunt in montibus Arabiæ albos.* Aptus porrò locus hic videtur in quo explicentur Virg. verba lib. 2. Georg. de Acantho Baccifera.

Dubitatio de flore Acaciæ.

Quid tibi odorato referam sudantia ligno
Balsama? & baccas semper frondentis Acanthi?

Acanthus baccifera Virgilij.

Multos anxit Acanthus hæc Virgiliana. Seruius Grammaticus Maronis commentator, docuit Acanthum arborem esse in Ægypto semper frondẽtem, dictam, quasi spinis plenam, & abundare etiam in Cyrenaica Insula. Christophorus autem Landus alter Virgilij commentator,

Cõmentatorum Virgilij opinio.

idem affirmat Ecloga. 3. Sed qua id coniectura assequuti sint, non declarant, & videtur hic postremus pro Acantho bacciferam proponere Plinij Piracantham, quæ bacciferà est: sed facilè nos refellemus, quia perpetua fronde nec vireat, nec Ægypti propria planta hæc sit. B. Marantha lib. 2. sui Meth. cog. simpl. c. 7. quærens eandem arborem explicare, scriptum reliquit. *In non leuem suspicionem duxit nos Plinius, vt crederemus Acanthum hanc esse Ebeni speciem, de qua ille lib. 12. cap. 5. Nam cum cap. 4. Loquutus esset de Ebeni altera Specie, quæ fructicosa est Cytisi modo, statim cap. 5. subdit. ibi & spina similis, sed deprehensa, vel lucernis, igni protinus transiliente, spina Acanthi nomen videtur exprimere. Hocque spinæ genus idem esse videtur, quod Dioscorides cap. de Ebeno. Semina, aut spina lignea, quæ ob similitudinem pro Ebeno venibant, quod discernebatur ex eo, quod fungosa erant, & in purpureas hastulas resoluebantur, vnde fortè propterea lucernis apta erant, vt ignis rapacia.* Cum non consteret, an Pseudoebenum perpetuo vireat, & an Baccas producat, inanis est, & leuissima ista Maranthæ suspicio. Guillandinus autem acerbior Patauinus Olitor in Epistola ad Langium iactans se explicaturum Virgilij Acanthum bacciferam Athenæi verbis antè à nobis allatis, maximis implicitus erroribus, omnia confundit. ceu fuit hic quidem benè Virgilium loquutum de Acantho Ægyptia Athenæi, quæ semper est frondens. sed esse diuersam ab Acantho Aegyptia Dioscoridis, Plinij, & Theophrasti ineptè imaginatus est: Deinde ratus Virgilium veras baccas intellexisse, quæ à siliquis multum differunt, deceptus est secundo ipse Guillandinus, non Hellanicus ab Athenæo citatus, rationes huius Borusi nullam vim habent: falsum enim est Acaciæ Arborem siliquas ferentem semper frondere à nullo vnquam hominum adnotatum. Nam Athenæus *semper florere* apertissime scripsit; vnde si semper floret, rationi etiam consonum est semper frondere, ita vt cùm floribus coniuncta semper sint folia, vnde forsan Virgilius paucam diuersitatem posuit inter Verba *semper frondentis Acanthi* ac illa *semper florentis Acanthi*. Seruius etiam retulit in Ægypto esse Acanthum Arborem semper frondentem, & Bellonius Acaciam inter Plantas perpetua fronde virentes reposuit, & ex Alpino etiam colligi potest cùm asserit florere Nouembri Mense, & iterum Martio, quamuis apud nos ob ingentia frigora, aliter se res habeat: quum verò scribit idem Guillandinus. *Flos siliquati Acanthi candidus esse, coronariusq; traditur, contra bacciferi fuscus, obscuruſq; nec coronis magnopere expetitus.* dupliciter errat. Dicemus nos optimè Hellanicum duo Acanthi fecisse genera, albam, & nigram, quarum vtraque siliquas gignit, non baccas propriè dictas, fructusue rotundos, quamuis rotundum fructū scripserit Athenæus, accepit enim florem pro fructu, qui Platani fructui persimilis est, minor tamen: vn-

de

B. Marantha de Acantha Virgilij.

Guillandinus de Acantho bacciferà.

Acanthus semper frondens.

de si Dioscorides, Galenus, & alij, ob rotunditatem Platani fructus lanuginosos Pilulas vocauere, & Pausanias lib. 7. Hist. Veteris Græciæ. Baccas dixit: cur non licebit Athenæo, & Poetæ Bacciferam dicere Acanthum, & fructum rotundum? at florem intellexisse Athenæum videtur manifestum; quia hoc ipso flore, seu fructu rotundo ipse vtebatur in Coronis, & hunc ipsum rotundum florem verè florere dixit, diùque perdurare: ideò fabulas texerunt de perpetuis Coronis Poetæ. Flos autem fuscus is forsan est, qui nobis luteus floret; & falsò asserit Guilandinus Acanthum flore rotundo, & obscuro, coronis non expeti; nàm contrarium expressè docuit Athenæus. Sed ad Virgilium. Mea sententia est Baccæ nominè impropriè ob similitudinē quandā vsum Virgiliū, cùm intelligeret flores rotundos, vt baccæ sunt; sicut etiam in Culice dixit.

Quid Bacca Acanthi.

Nec Indi conchea bacca maris prætio est.

Intelligens Margaritas, seù Vniones rotundos instar baccarū, quòd fortè desumpserat ex Theophrasto Peripatet. libel. de lapidibus id clarissimè exprimēte hisce verbis. *Vnio vocatur pellucidæ naturæ bacca.* Palladius autē magis abusus hoc nomine videtur, cùm dixit *Capræ baccas* rotundum ipsius excrementū. Licebit itaque Acaciæ, quæ Spina Ægyptia est, florem rotundū, quandoq; appellare fructum, quandoq; baccam, necnon etiam quandoq; Pillulam; nàm sua rotūditate, & magnitudine, Cerasi fructū, & baccas æmulatur, atq; paruam Platani pillulam. Posset etiā imaginari aliquis, Virgilium per Acanthum bacciferam, seu spinam bacciferacem non Ægyptiam spinā voluisse; sed aliam quandā, & fortasse illam, cuius meminit Plin. lib. 15. c. 24. qui locus haud videtur Guillandino fuisse notus, vbi ait. *Baccæ Aquifolio, & spinæ sine succo*, sed quam spinā cùm baccis velit Plinius, mihi nō constat, an spinam albam leucacantham dictā, an Piracantham, an Pseudoebenum, an spinam Aegyptiā Dioscoridis, vel Guillandini, vel aliam? nostra opinio iam supra satis explanata est.

Acanthi baccíferæ alia expositio.

Quæremus quarto pauca quædam de semine, si quidem Dioscorides ait τὸ δὲ καρπὸν ὅσπερ θέρμον ὑπ λοβοῦ πέμπτον *fructum vti lupinus in siliquis fert.* Sic Theophrastus. *Fructu in siliqua, modo leguminum, quo incolæ coria perficiunt vicè gallæ.* Plinius verò. *semen in siliquis, quo coria perficiuntur gallæ vicè.* nèc placent Hermolai verba vertentis Dioscoridis textum *semen lupini in siliquis*, nec Ruellij, qui interpretatūr *semen lupino simile in folliculis.* quibuscum videtur sensisse Guillandinus, & quidam alijs immo Oribasius legit. *semine ceù Lupinorum candido in siliquis.* vbi addidit etiam candorem seminum, credo præter rationem, nèc multum differt Serapio Arabs, qui transferens dicta Anazarbei, ait. *Fructus eius est sicut Lupinus albus, & est in vaginis.* hic albedinem Lupinis sociat. Verùm hi quidem omnes mentem Dioscoridis, & Theophrasti non sunt assecuti.


De semine Acaciæ.

Error quorundam.

Nam semen non dicitur in textu græco lupino simile, vt hi transferunt, sed siliqua, quoniam nomine κεράτιον accipit Dioscorides totum fructum ex siliqua, & semine adhuc integrum, non semen solum, vt ij vertunt, nobis Alpinus etiam assentitur *Ex floribus* (inquit) *siliquæ lupinorum amulæ proferuntur, ipsis veruntamen minores, in primis virides, & mox nigræ apparent, quorum semina dulcium siliquarum seminibus sunt similia, & in siliquarum folliculis sunt conclusa.* Non igitur semen, sed siliquam lupino comparauit Dioscorides, nomine fructus. Plinius autem lib. 24. cap. 12. de semine loquutus est, dicens. *Semen omniam lenticulæ simile minore est tantum, & grano, & folliculo.* ex quo colligimus etiam Ægyptiam spinam habere granum lenticulę simile, quamuis Dioscorides de Capadocica tantum id retulerit; nec censeo hæc Plinium confusisse, vt illi obiecit Guillandinus, sed vera adnotasse, nec semen, folliculumue, minora esse lenticula debemus intelligere, quamuis videantur id dixisse Dioscorides, & Plinius: sed contrarium potius, vt de visu testari possumus, minor enim est Lenticulæ fructus, tam grano, quam folliculo tùm Acacia Ægyptia, cuius seminis mox dabimus figuram, tùm Indica nostra; vnde dicemus apud Antiquos idem intelligi tam de Ægyptia, quam de Capadocica; ideò vel in textu erratum est, vel intelligendum ipsam Lenticulam esse minorem, tùm grano, tùm folliculo, quam sit Acacia, vt dixi, vel dicendum minoritatem non ad Lenticulam referri, sed ad alteram Acaciam: ita vt Dioscorides assimilauerit Acaciæ ponticæ semen figura tantùm lenticulæ, minoritate verò Aegyptiæ spinæ folliculo, & grano. sic Plinius voluit Acaciam Ponticam minore esse tantùm, & grano, & folliculo Acacia Aegyptia. Nostræ autem Acaciæ (quæ Indica est) siliqua, quam paulo ante pictam ostendimus, externa facie lupini lobum perbelle imitatur, non autem interno seminum positu: semina verò ipsa lenticulis sunt maiora, & lupinis minora, sed aptius assimilantur Carobiæ seminibus.

Comparatio cum lenticula.

ACACIAE AEGYPTIAE LOBVS.




A Siliqua aperta, & semen Acaciæ Aegyptiæ, apud P. Bellonium depicta.

B Siliqua integra Acaciæ Aegyptiæ, nobis transmissa, & semen. similia picturæ. P. Alpini.

Visum est hoc loco lectoribus exhibere etiam Acaciæ Aegyptiæ seminis, & folliculi iconem, vt innotescat quantum conueniant, & differant à nostris Indicis. Bellonius exhibuit figuram apertæ siliquæ, cum semine rotũdo caudato. Alpinus autem integras siliquas suis arboribus appinxit. à quibus non differt à nobis picta imago, desumpta ex lobis aliquot à Ferdinando Imperato Neapolitano pharmacopeo, & rerum naturalium inuestigatore diligentissimo, transmissis ad nos, & Henricum Coruinum eruditissimum Botanicum, nomine Acaciæ Aegyptiæ, quæ perbellè quadrant dictis Antiquorum. Nam semen est Lenticulæ magnæ facie, & colore, in loculis connexis, folliculisq; iugatis, qui modo triloci, modo quadriloci sunt, seù ternum, quaternumve seminum capaces, vt de tali spina retulit Dioscorides. His accedere videtur etiam rudis illa apud Bellunensem delineatio in interpretatione Vocum Auicennæ. *Acacia* (inquit) *fit ex fructu Arboris Setan, qui Alcharad appellatur, & est fructus sliipticus in vaginis contentus in modum fabarum, & faseolorum secundum hanc figuram.*

Semina Acaciæ Aegyptiæ à quo nobis missæ.



Bellunensis figura fructus Acaciæ.

Nostra autem Acacia, cum plura, & conglobata semina afferat (taceo foliorum figuram, quæ aliquantum etiam variat, à picturis Bellonij, & Alpini) non parum differet. Possemus tamen dicere, vel semina esse Acaciæ Maris, & Nigræ, quæ pauciorem fructum fert, vel eius speciei esse, quę in Capadocia, Pontoq. prouenit: & forsan nostra est alia species, quã indicauit tantum, non descripsit Bellonius lib. 2. c. 80. Circa Vrbem Rama scribens: *Acaciæ alterum Genus copiosè ibi prouenit, atque alius fructex spinosus, quem à Veteribus non descriptum arbitramur, suspicamur tamen Mirrhæ arborem esse, contorto est caudice, denso, horrentibusq; spinis obsito, folia habens Acaciæ similia, sed paulo maiora.*

Coniectura.

Quinto de Gummi est disputandum. Dioscoridis verba sunt. *Manat, & gummi ex ea Spina*, deinde subdit. *præfertur eius Spinæ gummi, quod in Vermiculorum Speciem contrahatur, & vitri modo perluceat, ligni expers, proximum est candidum, sordidum verò, & resinosum inutile.* Theophrastus verò sic nos admonet *sit & gummi ex ea, manat tum arbore percussa, tum sponte sine vlla fissura.* Nec Plinij testimonium est prætermittendum, quod huiusmodi est. *Gummi optimum esse ex Aegyptia spina conuenit, vermiculatum, colore glauco, purum, sine cortice, dentibus adherens, deterius ex Amigdalis Amaris, & Ceraso, pessimum ex Prunis.* Multi dubitarunt, & adhuc dubitant, an Gummi Arabicum nostrarum Officinarum sit huius spinæ gummi. Negant aliqui, in primis Bellunensis in Explic. Vocum Aui-

De Gummi Acaciæ.

De Gummi Arabico.

cennæ. *Licet* (inquit) *ex Arbore ab Aegyptijs appellato Setan colligatur gummi, tamen gummi Arabicum est illud, quod colligitur ex Arbore dicta Amgailam, & Acacia sit ex fructu Arboris Setan.* & Scaliger de subtilitate. Exer. 163. *Gummi hoc* (inquit) *quod Arabicum vocant neutiquam in Arabia nascitur. Quia hoc ipsum quo vtimur e Pruno, Ceraso, Amigdalo detrahitur: non enim est ab Arabia petendum, quam ob rem sine vlla cognominis adiectione, Gummi vocatum semper apud Veteres legimus; Galenus enim vix aliter, aut Alexander, aut Dioscorides. Quin ex Aegyptia spina cùm optimum probent. istius cognomenti ratio nulla erit.* Brasauolus in simpl. Exam. concedit quidem per gummi Arabicũ apud Auctores Arabes intelligendum ex Arbore Acaciæ: sed vulgare officinarum censuit esse colore varium, quia aliarum arborum gummi mista sunt Amigdalarum amararum, ceraforum, prunorum, vitium, olearum, vlmi. eiusdem esse sententiæ Matthiolum reperio tùm in commentarijs in Dioscor. tùm lib. 5. Epist. ad Balthasarem Pepulum, ductum potissimum Andromachi verbis, quum scripsit.

Scaliger de Gummi Arabico.

Matthiol. opimo.

Δάκρυον ἐν μίσγοις βαλὼν κυανωπὸν ἀκάνθη.

Misce atram lacrimam, quam spina remittit.

Ideoq; quum lacrima hæc atro sit colore, nullo pacto censendum vult, eam id esse gummi, quod passim habetur in Myropolijs, Arabicum vocatum. Namq; hoc Aegyptiæ spinæ non esse censet; sed diuersarum aliarum stirpium lacrima. præterea addit. *non contractis vermiculis simile, sed in grumis versicoloribus.* ad hæc. si hoc, quo vtimur, sincerum, legitimumq; Acaciæ esset Gummi, proculdubio ipsa quoque Acacia ad nos conueheretur. addit postea alias ratiunculas ab alijs etiam eiusdem sententiæ allatas. non dissentiunt Monachi commentatores Mesues. & Maranta lib. 1. de Teriaca cap. 25. imaginatus gummi, quod modo Arabicum vocatur, esse miscelam plurium gummarum diuersarum Arborũ: inductus etiam tum varietate colorum huius gummi, tum etiam quia, Galenus absolutè Gummi appellat, lacrimam illam omnem, quæ ab Arboribus manat non resiniferis, & hoc clarum adeò esse dicit, vt probatione non egeat, addit paucos esse Botanicos, qui Gummi Arabicum esse Acaciæ gummi censeant.

Maranthæ rationes.

Contra tamen Arabicum Gummi esse Acaciæ Arboris Gummi plerique affirmant. Serapio Arabs Gummi Arabicum apertissimè scribit esse Acaciæ Dioscoridis Gummi, cum quo consentit etiam Auicennas, & Brasauolus concedit apud Arabes (vt paulo ante dixi) nomine Gummi Arabici intelligi Acaciæ Gummi. idem opinantur Syluius, Amatus, & alij. sed in hac re maximè credendum oculatis testibus, itaq; P. Alpinus Aegypti olim incola hæc scriptis reliquit. *Certo scio me sæpissimè hisce manibus Cayri in Viridarijs multis Acaciæ Arboribus confertis ex ipsorum*

Verior Alpini sententia.

THUNCIS

truncis multam collegisse: ac præsertim in viridario propè ædem Veneti Consulis posito, in quo sunt multæ Arbores Acaciæ, ex quibus gummæ manat, pacè Dioscoridis dixerim, non tota, sed pauciſſima, quæ vermiculari forma ſpectetur, neque tota alba, & clara. Vno etenim colore, ac vna figura neutique omnes Acaciæ Arboris gummæ ſpectantur, talemq. formam, vel figuram accipit gummæ, qualem motus ſucci è cortice manantis ſit; nam interim vbi admodum eſt craſſus, non multum deorſum mouetur; ſed ſtatim ferè excretus coaleſcit, granoſaq. gumma tunc ſit, tenuiore verò ſucco exeunte, multumq. fluxili, aliquando oblongam gummam reddit. Atque vno verbo dico me vidiſſe gummas Acaciarum, figura, atque colore pleraſque Ceraſorum, Prunorumvè gummis haud diſſimiles. Præterea ſcies quoque, totam gummarum quantitatem, quæ ad nos ex Aegypto conuehitur eſſe Acaciæ arborum: quando nulla ibi Arbor ſit (hac excepta) quæ gummas educat, Aegyptus ſiquidem, ac Arabia prunis, Ceraſis, Pomis, atque alijs gummoſis arboribus omnino caret. ex quo, non ex alia, quam ex Acacia gummas Arabes, ac Aegyptij colligunt. Huic omnino etiam aſſentitur P. Bellonius, qui & ipſe de viſu teſtis eſt. & his nos quoque credimus, nobis cum alij plurimi.

Reſpondetur obiectionibus.

Itaque obiectis facilis eſt reſponſio. Bellunenſem quidem erraſſe manifeſtè dicendum; quum non conſter, qualis ſit illa Arbor ab Acacia diuerſa, quæ Gummi Arabicum ferat. At Scaligero dicimus ſimplici prolatione Gummæ apud Græcos intelligi Acaciæ gummam per Antonomaſiam (vt dicunt) hæc enim optima, hæc alijs prælata, hæc in frequentiori erat vſu, denique quia hæc in maiori copia reperiebatur, colligebatur, & afferebatur, ſic etiam apud nos quoque modò nomine ſimplici gummæ ſemper Arabica gumma intelligitur. Nec nomen hoc falſum, vel nouum eſt, etenim non in Aegypto tantum, ſed etiam in Arabia colligitur, & ibi etiam in maiori copia, vnde ad nos affertur, iure igitur Arabicum Gummi vocatur, & ea de cauſa Serapio, & alij Arabes ita ipſum vocauere, quos cùm omnino ſequerentur noſtri maiores, in officinis receptum communiter eſt hoc nomen. immo nec apud Græcos nouum eſt: legitur enim in 2. Democratis Antidoto, quam affert Galenus 2. de Antid. cap. 3. qui locus dignus eſt aliqua conſideratione.

Succi Cyrenaici boni dracmam cape
Acori, Phu, Caſtorijque, & Aſari,
Seminis Cardamomi, Gummi Arabici
Liquoris Acaciæ.

Alia nomina.

Quin etiam hoc idem Gummi denominatum reperio alijs nominibus, vt 4. de comp. med. 2. loc. cap. 6. in Medicamento ocularo Aſclepiadis, & lib. 7. cap. 2. in eiuſdem Arteriaca, & cap. 4. eiuſdem Aſclepiadis ad Hæmoptoicos: quibus in locis legitur *Gummi Thebaicum*, & hoc Gum-

Nomina, varia Gũmi Acaciæ.

mi voluisse colligitur ex eo, quod Theophrast. testis est huius spinæ ingentem syluam circa agrum Thebanum esse in Aegypto. & liber de Dinamidijs inter Galeni spurios. cap. de vitijs stomachi ad venam ruptam interius. habet. *Gummi Saraceni*. eò quod in Mauritania Affricæ parte colligeretur, cuius incolas infideles, Saracenos nostri vocauerunt: deinde ad dissenteriam laudauit. *Gummi de Babilonia* quia circa Babyloniam Aegypti, ideſt Cairo concrescit: (vt referunt Brasauolus, & Franciscus Alexandri in Apolline) cum altera Babylonia non in Aegypto sit posita, sed in Mesopotamia; At in altera Babylonia cur colligi nequeat, non video, cum, & in Arabia, Syria, Palestina, Iudæa Acaciæ arbores proueniant, nec non etiam in India, cuius generis est nostra arbor. Serapion autem vocauit arborem ipsam *Spinam Babylonicam*. Præterea Marcellus Empiricus vetustissimus scriptor c. 14. vocat. *Gummi Alexandrinum* ab Alexandria Aegypti vrbe vbi emitur, & ibidem, atque etiam cap. 20. scribit *Gummi Acanthinum*. s. ex Acantho arbore, quæ omnia nomina vnum, & idem significant Gummi.

Respondetur Matthi.

Matthiolo respondemus: in Antidoto, ex text. lib. 2. de Antidotis. paulo antè citati, recipitur Gummi, & liquor, & in Theriaca etiam ponitur tàm gummi, quàm succus Acanthinus, seu Acaciæ: & Andromachus cum voluit Gummi dixit. *tenax gummi*. Democrates verò simplicem *Gummi* nomen posuit; quum succum voluit Andromachus scripsit.

Misce atram lacrimam Nili, quam Spina remittit.

ille verò, qui apud Galenum etiam Theriacam descripsit Hexametro carmine, sic ait.

Atque Paretonium fundit quem Spina liquorem.

Lacryma pro Succo.

Qui Poetæ videntur quidem velle lacrymam per se manantem, si simplia verba essent accipienda: sed Poetis, carminumq. commoditati aliquid est condonandum. vndè illis conceditur nomine vti lacrimę, pro succo, & fundere, pro exprimere. Hinc Matthiolus deceptus, auctorem imaginatus voluisse gummam atram, seu Cyaneam, vt vox Græca sonat. deceptus est magis Oddus recipiendum in Theriaca hoc loco gummi non Acaciæ succum opinatus. Nam dubia substulere tùm Andromachus iunior, & Galenus soluta oratione scribentes *Acaciam*. tùm Democrates sic canens.

Acaciæ succus tùm humens tùm bonus.

Color Gũmi Arabici.

tùm denique quia vtrumque recipitur tàm gummi, quàm succus Acaciæ, vt supra patuit. sed non mirùm doctos viros cecidisse, opinatos gummi esse intelligendum hoc loco, quia lacrymam dixit, quam fundit spina, & χυανοῦν colore. succus verò neque est lacryma, neque per se funditur, sed exprimitur, neque Cyaneum colorem habet. At gum-

mi ipsum Plinius esse *Colore Glauco*. testatur, qui non multum à cyaneo distat, si Platoni credimus, qui docuit γλαυκὸν ἐκ κυανοῦ, & ξανθοῦ. præterea, Medicis γλαύκωμα dicitur vitium oculorum, quum cœruleo colore exalbido sunt, itaque si huius coloris debet esse Gummi Acaciæ, idest Glauci, & Cyanei diluti, non sine ratione taliter sensere Auctores dictis: debet etiam Gummi esse vitrea luciditate, & transparentia prædituni, vt sit optimum. *Proximum est Candidum*, inquit Dioscorides, scilicet secundum locum habet post subcœruleum, & hoc intellexit Crito apud Galenum 5. de comp. m. 2. loc. cap. 7. ad pruritum faciei: necnon Actius serm. 13. cap 124. sæpe per *Gummi album*. sed de med. par. fac. ad sol. 27. *Gummi* (inquit) *partem nigram passo elixam exhibo sub lingua continendam, ac deuorandam: ad sputum enim sanguinis, & tussim gummi nigra pars vehementer facit*. Atque hoc loco quid intelligat per partem nigram non capio, nisi fortè voluerit corticem nigrum arboris Gummi adhærentem; cortex enim niger in Ægypto est, & astringentis cum tota arbore qualitatis, ideo ad sputum sanguinis aptus. An verò intellexit Gummi vstulatum, ita vt voluerit *Gummi partem nigram elixam*. seu *assam*, per se quidem nõ alteri rei mistam. *passo exhiberi sub lingua continendam?* Vstione enim nigrescit. nec absurdum esset accipere succum nigrum, qui vti astringens sputui sanguinis erit aptus, & ad idem à Dioscoride commendatur, sed expressa vox *Gummi* vim in contrarium facit.

Gummi nigrum.

Atque in Theriaca Andromachi Cyaneum Colorem succo expresso conuenire magis voluit Stelliola, cui minimè assentiri possum, vt, qui legerim apud Dioscoridem, eligatur τὸ μέλαν ξανθίζον. *modicè rufus*. & Plinius Galaticam Acaciam nigerrimam, vel valde rufam improbat, laudat *Purpuream*, *& Leucopheam*, qui color potest dici subcœruleus, aut cinereus, seu albo fuscus, qui Glaucus etiam est. dixit etiam Dioscorides succum hunc expressum *Nigrum* (μέλαν ait ipse) *ex maturo semine*. *sub rufum* (κανθίζον) *ex viridi*. Non quidem, quod omnino sit ater, & niger, sed quodammodo cœruleus, cyaneus, cùm obscuritate, & leucopheus, seu non omnino obscurus: qui autem penitus niger est, vel exoletus, vel Capadocicus iudicatur: certum autem esse debet pro Theriaca Andromachum voluisse Acaciæ succum ex maturis siliquis expressum, qui subniger, & cyaneus est. Heras verò in Diacodio, prout refert Galenus 9. de comp. medi. loc. cap. 2. *Acaciam rufam* elegit. & Galenus 3. de med. fac. parab. 84. necnon Mesues in Diacodio *Acaciam rubram* posuere, qui omnes certùm apud me est, succum ex immaturis siliquis voluisse, vti magis astrictorij. itaq; Stelliolę dicimus, cum probetur magis Acacia rufa, quam nigra, & cyanea, potiorem esse eligendą, & Poetæ verba interpretanda de electione optimorũ simplicium, non deteriorũ.

Quis sit color succi Acaciæ.

Sed

Gummi vermiculatum.

Sed dices Gummi Acaciæ à Plinio *Vermiculatum*, à Dioscoride τὸ σκωληκοειδὲς dicitur. & Marcellus Empiricus *Gummi Acanthinum* (inquit) *quod ex Vermiculis, quæ illic sunt verum docetur*. at vulgare Gummi minimè Vermiculorum speciem, figuramq. exhibet: sciendum igitur non omne Acaciæ Gummi vermiculorum forma manare, nec omne tale gummi Dioscoridem, Plinium q. dixisse vermiculatum; sed huiusmodi esse præstantius: est enim aliud *candidum*, aliud *fordidum*, & *resinosum* (forte resinæ mistione) aliud *Croceum*, quale, vt plurimum ad nos deuehitur. atque in Ægypto, vt testis est Alpinus, pauciſſima Gumma manat vermiculari forma. Cum autem Aetius in Theriacæ descriptione adnotauit *Gummi vermiculatum*. censuit Marantha voluisse Gummi Tragacanthæ, quod vermis figura cernitur: sed minimè dubium est, ipsum voluisse Acaciæ gummi optimum, non Tragacantham. ideo tempus non teram in confutanda erronea hac Maranthæ opinione. & ad alias Matthioli, & sequacium rationes de Gummi Arabico, an sit Acaciæ. iam responsum fuit in Apollinem pharmacopeo à Francisco Alexandri Vercellensi, & pluribus, & nimis etiam acriter, ob id his de relictis ad alia transeam à scriptoribus minus animaduersa.

Quid lacryma sit apud Theophrast.

Dilucidandus nunc est Theophrasti locus. 9. de Hist. Plant. cap. 1. *Humor* (inquit) *quibusdam etiam in lacrimæ modum gignitur, vt Abieti, Pino, Terebintho, Larici, Piceæ, Amygdalæ, Ceraso, Pruno, Iunipero, Vlmo, Spinæ Aegyptiæ. nam ea quoq; fert gummam, verum non ex cortice, sed ex vase.* Hic Theophrastus lacrimæ nomine tam Gummas, quam Resinas vult. sed illud *ferre gummam ex Vase* difficultatem facit: nam Spinam Aegyptiam, nullus testatus est, lacrymam in vesica ferre, non autem ex cortice, vt hic Theophrastus asserere videtur, immo contrarium alibi de eadem loquens posuit his verbis: *Manat tum Arbore percussa, tum sponte sine vlla fissura*. Ego (vt breuiter me expediam) sum in sententia illud, ferre gummam ex vase, non Spinæ Aegyptiæ, sed antecedenti Vlmo esse referendum, quam certum est in vesiculis, non ex cortice gummam ferre, seu potius resinosum quendam liquorem, & manifestum hoc etiam est, quia dixit Theophrastus. *Nam ea quoque*, referens ad antecedentem; nec scripsit *Nam hæc quoque*, scilicet vltimo numerata, vel dici posset pro vase lignum voluisse, contra distinguens à cortice.

Gumma ex vase quid.

De iucco Acaciæ.

Tandem de Acaciæ succo disputandum est, qui valde desideratur à Medicis, & Pharmacopeis pro conficienda præstantissima illa Antidoto dicta Theriaca. Artificium habemus ex Plinio lib. 24. cap. 12. *Colligitur* (inquit) *Autumno, ante collectum, nimio validus: spissatur succus ex folliculis aqua cælesti perfusis, mox in pila tusis exprimitur organis, tunc denſatur in Sole, mortariis in pastillos. fit & ex foliis minus efficax*. Dioscorides etiam

Collectio.

scripsit.

scripsit. *Niger ex maturo semine, subrufus ex viridi, aliqui exprimunt ex foliis, & semine succum.* Ego ab his Auctoribus edoctus Acaciæ succum ex nostrarum plantarum viridibus siliquis mense Augusto extrahere aggressus sum: itaq; incisos minutim folliculos, & in Mortario benè contusos in multa aqua infusi, & per triduum infusa manere placuit, succum deinde expressum, qui lacteus videbatur, ad Solem exiccari effeci: siccus autem primo rufus apparuit, deinde massa nigra: sed si Vitrum tenuiter ipso illinitum, ad lumen aspicitur, rufus apparet. sunt autem 4. iam elapsi anni ab istius confectione, & Visci qualitates habet non succi concreti, manuducitur, efformatur in piramidalem, vel aliam figuram, post paucas horas subsidet, & demittitur, sed Borea flante durior est, Austro mollior. Sapore est potius acri, quam adstringenti, cum paucula quadam Aciditate, & temporis progressu etiam in ore sentitur dulcedo quædam: itaq; apparet esse valde Heterogeneus, & veluti miscela quædam plurium saporum dulcis, acris, acidi, & astringentis, nec non etiam amariusculi, vt sæpè attentè degustando percepimus.

Nostræ Acaciæ succus.

De succo etiam scripsit Dioscorides, vt vertit Ruellius interpres. *Lauatur Ocularum medicamentis, trito in aqua, mox effuso, quod concreuerat, donec pura extet aqua, & ita cogitur in pastillos.* Galenus autem 6. de simp. med. fac. *Lotus* (inquit) *& imbecillior, & minus mordax redditur, vtpotè acrimoniam quandam in lauatione deponens.* Sed quæret aliquis, quomodo lauantur succi, si toti aqua soluuntur, liquantur, & immiscentur? Vnde si huiusmodi succos concretos, & siccatos, iterum totos aqua solueris, & liquaueris. ex his si partem aquæ auferes; abstrahes etiam partem succi liquati; si quid subsidit est, vel arenosum, vel alienum. & hac de causa lauatur ex Dioscoride, & Plinio Aloes succus, vnde aiunt. *Lauatur, vt quod sit arenosissimum, tanquam inutile subsidat, & leue, ac pinguissimum assumatur.* an nè contrario modo in Acacia erit accipiendum, quod subsidet? sed quid subsidet? non nisi pars arenosa, terrea, & excrementosa commista, non succus liquatus: tamen Galenus lauat, vt tenuiorem partem, & acriorem separet. *Et sanè* (inquit) *coniectura est non esse similare, verum quasdam in sese dispersas habere partes tenues, & calidas, quæ in ipsa ablutione segregentur, effloque & hoc tertij ordinis exiccantium, & secundi refrigerantium, vbi quidem elotum fuerit, illotum verò primi.* Mesues alia ratione, & alio fine lauasse videtur Aloen, ac Dioscorides: siquidem scripsit: *In Aloe quidem loto minoratur solutiu, & additur, vt sit stomachi confortatiuum. in non loto verò est è contrario.* Ego mente assequi non possum (quæ apud Galenum est coniectura) vim hanc loturæ Acaciæ, & Aloes. Nam aliud est lauare lapidem Armenum, vel lazuli, qui graues sunt, aliud succum in aqua liquabilem: miror equidem ab aliquo nō dictum

Lauatio succi Acaciæ ex Dioscoride.

Difficultas de lotione succorum.

Quare lauentur succi.

lauan-

lauandum Vinum, Acetum, vel Aquam Aqua. Ego autem scio doctos aliquot; cum scribunt Aloem lotam velle depuratam, & à sordibus separatam, vel simplicis aquæ mistione, & colatura per pannum, vel subsidentia. Succotrina verò, quia purissima, lotione non eget; atque idem imaginor debere dici de Açacia. Si quis verò pertinax in Galeni sententia perire mallet, experiatur dilutionem Acaciæ ipse opere, non coniectura vociferetur. Mente autem soluat hoc, si huiusmodi lotio (quamuis nec tale nomen verè mereatur) succorum solutorum aqua, auferret partem Acrimoniæ, etiam à Scammonio, Opio, Galbano, Melle, Hyuccę succo, Euphorbio, & alijs succis concretis pars tenuior, & acrior tolli posset. Sed si ab his lotura Acrimoniam non demit, cur, & quomodo Acaciæ succo liquato? Sed dicant quicquid velint alij, cum Aloes, & Acacia similiter in aqua soluantur, non intelligo in vna subsidentiam, in altera, quod supernatat, sumendum. Sanè Mesues impropriè fortasse, & interpretum Arbitrio, nomen lotionis sumpsit, pro eo Magisterio, quod nutritionem dicunt alij, seu imbibitionem, aliquo decocto, sic nostri Aromatarij nuncupant Aloem lotam succo rosarum &c. & Albuchasis in lib. seruitoris promittens modum ablutionis Aloes ad expellendam Acuitatem, docet tantum Aloes imbibitionē decocto Aromatum. An Acacia in aqua concrescit, non Aloes, quod ridiculum? Sed Hermolaus verba Dioscoridis citata aliter paulò vertit. *Lauatur verò ad oculorum vtilitates in aqua tritus effuso tamdiu superiore illo, quasi spumæ tectorio, quamdiu pura supernatantis aquæ sinceritas constet.* Sed textus Dioscoridis hic est. Πλύνεται δὲ πρὸς τὰ ὀφθαλμικὰ, τριβόμενον μεθ' ὕδατος ἐπιχεομένου τῷ ἐπιπάγου ἄχρις ἂν καθαρὸν ἐφιστῆται τὸ ὕδωρ, καὶ οὗτος ἀπαλαμβάνεται εἰς τροχίσκους. Sed difficultas est in dictione τῷ ἐπιπάγου, quam Ruellius, *quod concreuerat*, vertit. Hermolaus verò pluribus explicare conatur, dicens. *Superiore illo quasi spumæ tectorio.* Mihi quidem (ni fallor) videntur hæc interpretum verba diuersa significare: quamuis enim vox ἐπίπαγον apud aliquos *humor concretus* explicetur, quia tamen hanc succi concretionem imaginari nequeo, aliud quid Dioscoridem voluisse censeo: nam concreta, vt plurimum fundum petunt, vtpotè densiora, & grauiora. si interpretari nobis hanc vocem licebit, vt quæ componatur ex ἐπὶ, & πάγος *superconcrementum*, seu *superpositum*, *supernatans*, atque *supereminens* dicemus: nam πάγος, & *concrementum*, & *locum altum* denotare volunt. ita cum Hermolao erit effundenda illa pars, quæ instar spumæ in conturbato liquore superiora petit. Oribasius id clarius expressisse videtur scribens. *Lauatur in aqua succus identidem confricatus abiectis ijs, quæ in summo concreuerint; donec pura aqua relinquatur, atque ita in pastillos cogitur.* Sed vt talis lotio, dissolutio, ac paucæ spumæ separatio possit vnum caloris gradum

Quæstrum de lotione succorum.

Apud Mesuē lotio pro imbibitione.

Spuma concreta in lotione Acaciæ

Quis effectus loturæ Acaciæ.

remit-

remittere, & rem in primo gradu frigidam, efficere frigefacientem in secundo, considerent quæso attentè doctiores, ego non percipio.

Esset quærendum de substitutione succi Acaciæ; nam & Prunellorum succum, lentisci, necnon Hypocistidis, & ex sumach substituunt quidam, de Vstione etiam ipsius ad Dioscoridis mentem posset sermo haberi, sed hæc ommittemus, vt, qui de Indica, & nostra Acacia agimus, de Ægyptia verò non nisi secundario, & alterius ratione, itaque ex alijs hæc peti poterunt, nos autem postquam pauca quædam de vsu Antiquorum Acaciæ, quæ ad nostram referri possent breuiter egerimus tertia subsequente huius capitis sectione, ipsi Capiti finem imponemus.

Quæstiones omissæ.

De Vsu Acaciæ Aegyptiæ.

SECTIO TERTIA.

SI agere vellem de multiplici vsu, & facultatibus omnium Acaciæ partium ligni, frondium, florum, seminum, succi, gummi, & cæterarum huius Plantæ partium, tùm in vsu Medico, tum Mechanico, nimis longus essem, & id excederet nostri instituti limites, qui Plantas potissimum describendas, & publicæ luci exhibendas, assumpsimus. At nè manca penitus hæc Acaciæ tractatio videretur, breuiter ex Antiquis aliqua, ordine perspicuo, annotanda iudicaui.

Vsus ligni Acaciæ Aegyptiæ.

Ligni vsus ex Theophrasto patet cum ait. *Tectis idonea ceditur*. deinde subdit. *alba imbecillis, facileq; putrescens, nigra robustior, atque incorrupta, ob id in Nauium fabrica ad costas, ventriq; compagines ea vtuntur*, quod confirmauit etiam Plinius lib. 13. cap. 9. sed non est reticendum de vsu istius Arboris, quod refert P. Bellonius lib. 2. Obser. cap. 66. cum narrat ea, quæ in Monte Synai viderat, vbi multas Acaciæ stirpes inuenerat. *Iam discessuros* (inquit) *Caloieri baculis donarunt oblongis, teretibus, læuigatis, & satis grauibus, quos ex eadem Arbore reuulsos aiebant, ex qua Mosis virga confecta erat, qua percusso saxo, aquam filijs Israel elicuit*. & ex Acaciæ arbore sibi visum esse scripsit.

Moysis Virga erat ex Acacia.

Vires foliorũ, & ramorum Acaciæ Aegyptiæ.

Ad articulos roborandos.

At de *foliis ligno, & ramulis* videntur loquuti Dioscorides, Oribasius, & Aetius quum scribunt. *Spinæ decoctum solutos artus fotu committit*. Alpinus hæc retulit de vsu apud Aegyptios. *Ad eos, qui ex quacumque causa articulos debiles habent, fomentum, ex iisdem omnibus paratum pro præsentaneo auxilio habent, neque immerito, cum Acacia prædalidissima adstringendi vi prædita sit. Omnes eius fomento vtuntur ad defendendos articulos ab humorum*

Ad podagram.

decursu. atque non minus in ijsdem tumefactis, atque inflammatis, præsertim in principio, dum humores adhuc in cursu existunt. Hinc. vsus ad podagricos dolores frequentissimus est, maximamq. vim habet Acacia, vt à podagricis incursibus homines præseruet. Non desunt, qui ad ea mala non modo foris fomenti, vel balnei modò Acacia vtuntur, verùm etiam succi modicum per os sumere ante fluxionis tempus per aliquot dies consueſcunt, vt ipsæ internæ viæ angustiores factæ minus cursui humorum pareant. deinde ait. multos noui recenter à podagra tentatos, vsu assiduo Acaciæ planè conualuisse. qui singulis diebus per horam adminus pedes in decoctum Acaciæ calidum detinebant, eoq. fomentabantur, pedesq. absterſos linimento ex succo Acaciæ, opobalsamo, acetoq. parato, etiam inungebant. paulò post subdit: decocto etiam vtuntur, ad exiccandas pustulas omnes, præsertimq. Gallicas, sed decoctum parant etiam cum modico ligni Guaiaci. in pueris etiam ad acores in capite orientes, & decocto, & puluere vtuntur. esculentus etiam foliorum vsus animalibus est vt narrat Bellonius. Incolæ (inquiens) eius ramos longis perticis flagellant, vt folia decutiant à pecore deuoranda.

Ad pustulas Gallicas. Ad Acores.

Folia pro pastu animalium.

At de floribus nihil Dioscorides, nihil Galenus, vnde inferri potest in Medicina vsum non sortiri. at Theophrastus Flos & pulcher aspectu, vt coronas ex eo facerent, & medicamentis perutilis, qua de causa colligi à medicis solet. & Plinius. flos & coronis iucundus, & medicamentis vtilis. sed in Coronis eius vsum ex Atheneo iam constitit, appellante. Coronas semper florentes. sed ex ramis contortis coronas efformat, qui coronis certè inutiles non demptis aculeis. & Hermolaus in Corollario cap. 141. & 165. Tindiæas, & Abylæas in Ægypto appellatas fuisse scripsit. Alpinus autem hæc nobis indicauit. In ijs mulieribus, quæ vteri immodicas patiuntur vacuationes, clysteribus ex Acaciæ foliorum, florumque decocto paratis, in vterum iniectis vtuntur. Atq etiam succo puluerizato, prædicto cum decocto dissoluto, atque immisso. in alui fluxionibus eodem modo tum clysteres frequentant, tum per os succum felicter exhibent. Ad anum, vterumq. foras procidentem succo dissoluto cum foliorum, florumq. decocto, nihil habent præstantius, ac frequentius quo vtantur. Sed ex floribus suauissima aqua destillatoria arte elici potest ad multos vsus magnifica.

Flos pro Coronis.

Ad vteri incommodas vacuationes.

Ad alui fluxiones.

At pauca etiam de folliculorum seminumq. Vsu erunt tradenda. ex his exprimitur succus, quamuis etiam ex folijs, sed minus efficax. at per se siliquæ ad coria perficienda gallę vsu, scribit Hermolaus, sed à Theophrasto desumpsit asserente. fructu incolæ coria perficiunt vice galle. Plinius autem Ad coria perficienda semine pro galla vtuntur.

Siliquæ ad coria perficienda, Gallæ vice.

De Gummi Dioscorides hæc admonuit. Cutis meatus obstruit, & medicamentorum, quibus admiscetur, acrimoniam habetat: ambustis ex quo illitum, pustulas non patitur erumpere.

Gummi vires.

Tan-

Tandem de succo refert Dioscorides. *Vis ei ad sistendum, refrigerandumq. efficax. Succus oculorum medicamentis utilis: valet ad ignem sacrum, vlcera quæ serpunt, perniones, pterygia, & oris vlcera: procidentes oculos reprimit: mensium abundantiam sistit. procidentem vuluam cohibet: citam aluum supprimit, aut potus, aut subter inditus, capillos denigrat.* Galenus autem hæc protulit. *Acaciæ, & planta ipsa acerba est, & fructus, & succus, qui lotus quidem, & imbecillior, & minùs mordax redditur, vtpotè Acrimoniam quandam per lotionem deponens. Porrò si parti alicui sanæ illinatur, protinus eam, & sicciorem, & contractam efficiet, nullum quidem caloris sensum inuehens, sed nec frigoris admodum valentem. vndè constat Medicamen id esse frigidum, & terrosum, immista quadam etiam essentia aquea. & sanè coniectura est, non esse similare, verum quasdam in sese dispersas habere partes tenues, & calidas, quæ in ipsa ablutione segregentur. Estoque & hoc tertij ordinis exiccantium, & secundi refrigerantium, vbi quidem elotum fuerit, illotum verò primi.* Tandem afferemus, quæ Acaciæ Ægyptiæ vltimus scriptor Prosper Alpinus nobis reliquit scribens. *Ægyptij Acaciæ arboris vtuntur succo, ex siliquis immaturis expresso, vel etiam ex floribus, foliis, vel ex fructibus etiam. Succi huius vsus apud eos frequentissimus est ad oculos roborandos, atque ab inflammationibus, quæ ibi sunt frequentissimæ, tuendos: ad oris, auriumquè omnia vlcera. nec non ad labiorum fissuras. ad dentes collabentes roborandos, atque firmandos. Succo in puluerem redacto, post ablutionem ex decocto eiusdem succi, vel foliorum, vel florum parato, factam, vtuntur supra gingiuas aspersо, ac eo dentibus confricatis. Sanguinem fluentibus dracmam singulo mane aliquo liquore dissolutam, potandam offerunt, mirasquè ad quamcumque sanguinis fluxionem firmandam semper vires habuisse apud eos cognitum est. Ego sæpissimè hoc solo auxilio multas mulieres, ab immodico vteri profluuio penè mortuas reuixisse, atque sanatas fuisse certo scio.* Deindè paulò post subdit. *Non desunt, qui ad podagricos dolores, & articulorum affectus non modo foris fomenti, vel balnei modo acacia vtuntur, verum etiam succi modicum per os sumere ante fluxionis tempus per aliquot dies consueuerunt, vt ipsæ internæ viæ angustiores factæ minus cursui humorum pareant. Aliqui, etiam ex succo Acaciæ, atque aceto linimentum parant, ad liniendos articulos debilitatos, quo sanè mirificè eos roborant, ac firmant.* postea scribit. *Ad pudendorum, aliarumque debilium partium vlcera difficilia, succi aqua pluuiæ loti puluerizati vsus est illis familiarissimus, decocto etiam vtuntur, ad exiccandas pustulas omnes, præsertimquè Gallicas.* & hæc de viribus Acaciæ affert libro de plantis Ægypti: addens etiam Cayri Coriarios ad denigrandas pelles multam

Succi vires
Ad oculos.
Ad ignem sacrum.
Ad vlcera, serpentia.
Ad Pterygia.
Ad oris vlcera.
Ad mensium abundantiam.
Aluum suppримit.
Capillos denigrat.

Succus Acaciæ frigidus, & tenuium partium.

Siccum frigid. 2. grad.

Vsus succi ad oculos in inflammatos

Ad dentes.

Hæmoptoicis.

Vteri profluuio.

Podagræ.

Ad vlcera.

Ad Diarrhęã & dissenteriam.

copiam illiusce succi absumere, sed 4. lib. de med. Ægyptiorum, sic etiam de acaciæ vsu in Ægypto loquitur. *Pleriq. ad diarrheam, ac dissenteriam corpore prius probè purgato clysteres adhibent, ex decocto siliquarum immaturarum, foliorum, atque florum acaciæ, in quo aliqui quoque duos, vel tres ouorum assatorum vitellos dissoluunt, vel eosdem in oleo rosacco, vel myrthino dissolutos, cum decocto prædicto miscent. Verum quomodocumque clyster ex acaciæ siliquis recentibus immaturis, vel foliis, vel floribus paretur, semper quascunque sanguinis, vel aliorum humorum non naturales fluxiones citò, ac valenter sistit. In vteri prosluuijs firmandis nihil ibi mulieres habent præstantius, quo vtantur.* Ioannes Mancinus nobilis Florentinus Cayri olim mercaturam fœliciter exercens, *à febre continua, putrida, cum diabrœa biliosa, assidua, contabescere inceperat, ex qua cum clystere ex Acaciæ decocto parato bis tantum vsus esset, sanatus est. Cum quidem alui deiectio longo tempore copiosa, ac crebra perseueraßet, eumque ferè ad exitium duxißet, febre minimè (quamquam satis mitis esset) neglecta probè illius corpore purgato, haud leuata alui diarrhea, multis frustrà tentatis remedijs, consului, vt clystere ex decocto immaturarum acaciæ siliquarum, foliorum, ac florum recentium parato, vteretur, ex quo bis adhibito, sic illius aluus cohibita, atque adstricta fuit, vt nè dum flatus post hac per anum exire potuerint. Qui quidem nocte sequenti intus retenti, in dextrò que hypocondrio collecti, septum transuersum validè comprimentes, hominem fere suffocarunt. Quo symptomate nonnullis admotis cum igne cucurbitulis, statim leuatus est.* Actius sermone primo sic scripsit. *Spina Aegyptia, ex qua acacia præparatur, adstringendi, ac siccandi vim habet, quare & fluxui muliebri prodest, & vlcera sedis insufflata ad cicatricem perducit.*

Ad Vteri profluuia.

Historia.

Ad vlcera sedis.

Ingenuitas Auctoris.

Et hæc de vsu, & viribus acaciæ adnotasse sit satis, ex antiquorum, ac recentiorum scriptis, nulla nostra experientia. Nam, vt verum fatear, cùm à chimica arte paratis pharmacis in agendo plurimum euinci, superari, & præcelli rudia, simplicia, impura, ac impræparata, ratione, & longa experientia nouerim, non potui mihi persuadere, vt derelictis remedijs aliquot meis fidelissimis, & spagiricè præparatis, in vsum traherem acaciæ simplicem succum (quamuis à plurimis, vt ex dictis constat, commendatum), & à me ex nostra Indica acacia aliquoties confectum, quam Aegyptiæ æquiualentem iudico. Nam, vt mentem meam omnino aperiam, causamque dictorum afferam, nè negligentiam hanc mihi vitio vertat aliquis: laudari quidem summè lego acaciæ succum *in astringendo. ad mensium abundantiam sistendam. ad citam aluum supprimendam. ad oris vlcera. ad vlcera pudendorum, & alia serpentia, maligna, & contumacia. ad dentes collabentes firmandos, & roborandos.*

Summa virtũ acaciæ.

Verùm

Verùm ego (absit iactantia) cum habeam ad hæc eadem, efficacissima medicamenta, quæ citò, tuto, & blandè id efficiunt, & adeò fœlici, prospero, certoquè effectu, vt æqualia vix in orbe reperiri posse censeam, superiora nunquam, ineptè agerem, si ipsis repositis, alia quærerem, & exhiberem (vt mihi persuadeo) longè inualidiora.

Mira remedia auctoris.

Primò autem *Sanguinem è naribus manantem* quacunque ex causa, maximo impetu, & copia, seù quemlibet copiosissimum, & impetuosissimum sanguinis narium fluorem *Quinta Essentia Aldina* in manu posita ad vnciam semis, & naribus attracta, mirabile creditu, statim supprimit, statim comprimit, illicoquè astringit, & cessare facit. cuius rei testes poterunt esse multi nobilissimi viri, qui copiosissimi lautè aluntur in Magnifica Illustr. Dom. mei Aula, alijq. plurimi, qui auxilium petitum ad nos accedunt. itaq. experientia ipsa iudice, meam quintam essentiam omnibus medicamentis, quæ ad Narium Hæmorragiam commendantur præire, & ea præcellere iam notum: nec mirum, quia sua tenuitate, & depurata essentia ob spagyricam præparationem est summæ actiuitatis penetrationis, velocitatis, ac quod summum est nullius periculi, & nocumenti, citi, facilis, & iucundi vsus. hinc factum, vt mea Quinta essentia contentus in huiusmodi profluuijs acaciam experiri non libuerit.

Ad sanguinē è naribus manantem Quinta Essen.

Secundò *Ad mulierum menstrualem abundantissimum fluxum* laudant quidem acaciam Antiqui, & Alpinus ad Cœlum extollit. multùm præstare posse credo, sed maiorem fidem habeo *Liquori Herculeo* meo oleagineæ formæ, quem præbere soleo in vino, vel alio liquore conferenti, ad guttas sex, vel octo mane per tres, vel quatuor vices. Huius autem vtilitatem, & conferentiam verbis explicare nequeo; curaui enim ab omnibus medicis derelictas mulieres ob atroces sanguinis fluxus, & qui per plures menses, & annos quandoq. perduraverant, atque particulares quasdam curationes adnotare possem, & curatas nominare. sed & Medicis domesticis Illustr. Principis, & Card. mei, & plerisq. Romanis, nec non nobilissimis aulicis omnibus notæ iam sunt huiusmodi plurimæ curationes; Hinc est, vt multi præclarissimi Romani Medici, ob clara experimenta, ad hunc effectum liquorem meum ita commendent: vt cogar in finitis ægris huius copiam sæpissimè facere. & inter hos honoris gratia mihi referendus erit Illust. & Excell. D.P. Castellus Medicus Rom. sua singulari erud. & simpliciu, & chimicæ scientia in Vrbe notus, qui aliquoties suis ægris nostra præscribit medicamenta, hic nuper testatus est se conuocatū ad ęgrā quandā, quę per annū hoc fluxu sāguinolēto erat detēta, & tandē morientē, nā quotiescūq. mingebat (quod sępè accidebat) mutulā sāguine replebat, & à multis pręcellētibus fuerat

Admuliebres fluxus noster liquor Herculeus est optimus.

Testimonium Petri Castel. Medici Eruditiss. & clarissimi.

curata

curata Medicis, restatus est (inquam) ingenuè, hic clarissimus vir, præscripto à se solo liquore hoc meo, paucis diebus, scilicet sex vicibus, mirabiliter conualuisse, & omninò sanatam fuisse, præter omnium opinionem. Illustriss. autem Dominus meus, pro sua indicibili benignitate, & liberalitate, expresse mihi iussit, vt nulli parcens sumptui, quibuscunq. ægentibus ipsum ne denegem, & gratis. (vt cætera alia chimica, quæ Principis mei humanissimi sumptibus parata, donare quotidie soleo) sed tacendum neutiquam mihi est, hunc ipsum liquorem perbelle obstructiones viscerum tollere, vnde hoc curaui ab affectu Hypocondriaco Doctiss. ac Reuerendiss. virum, (qui nunc Cardinalis amplissimus, & viuens est, nomen autem obseruantiæ gratia nunc reticeo) qui aliquoties benignè fassus est, sed ab hoc solo liquore vitâ recepisse.

Immensa benignitas Illustriss. Card. Farnesij.

Historia curati ab affectu Hypocondriaco.

Tertio, ad alui profluuia acaciam laudari, qui superiora legit, certò sciet, hac autem vti, mihi nunquam fuit necesse; nam *Ad alui fluxus quoslibet; ad sanguinis sputum ob venas in pectore ruptas; atque ad sanguinis mictum* exhibere soleo pretiosissimam *Quintam essentiam Corallorum* cum saccharo in Manuscripti formam redactam, & manè ieiunis rotulam vnam per tres, vel quatuor vices. qui nouit vires crudi coralli in fluxionibus sistendis, qui etiam nouit vim præparationum chimicarum, fatebitur, & noscet optimè *Corallorum Quintam essentiam* (non quamlibet quidem, sed exactè paratam, vt mea est) vim maximam habere ad has fluxiones sistendas. sed experientia certissima, & infinitis probata, & confirmata particularibus obseruationibus, & sanationibus id notum fecit tàm doctis Medicis, & Chirurgis, quàm inerudita plebi; ita vt in maxima copia parare hanc cogar egentibus distribuendam, iussu enim Domini mei clementissimi, quibuscumque (Medicorum ordine) petentibus dono exhibetur. ob id quolibet anno cadus vnus corallorum, qui pendet circiter lib. 300. ex Insula Ponti (quæ sub Dominio Illustr. & Reu. Odoardi nunc Card. Farnesij iacet, vbi optimi coralli copiosè expiscantur) ad me apportatur ad hanc tantum Q. E. pro fluxibus conficiendam. sed de corallis plurima auditu digna in epistolis referam.

Diarrhææ, & Hæmoptoicis damus. Q.E. Corall.

Liberalitas Illust. Card. Farnesij.

Quarto. *Ad oris vlcera* (vt suprà retuli) laudant acaciam Dioscorid. & Alpinus: vtor ego *Aqua benedicta* mea, quæ ab omnibus ea vtentibus benedicitur, quia mirabiliter sanat quęcumq. oris vlcera, & sine vllo penitus (in quo cõsistit huius aquę prestãtia) doloris, vel mordicationis sẽsu.

Aqua benedicta Aldina ad oris vlcera.

Quinto, acaciã supra legisti à Dios. Aetio, Alpino, sũme cõmendari *ad vlcera pudendorum, & alia serpentia*. At his in affectibus concessũ nunc est apud omnes nostros Chyrurgos nil *Præcipitato* prestãtius, quia citò, tutò, & iucundè, seu sine dolore auxilium afferat, sed rectè est præparandum

Ad vlcera præcipitati plura genera

alioqui

alioqui prædictas bonas qualitates minime sortitur. ob amicos igitur plurimos chyrurgos præparare soleo plurium generum, & colorum præcipitata, rubri, lutei, cinerei, albi, ad illudendos infirmos, quæ omnia sine vllo doloris sensu agunt.

Ex his pateat causa ob quam Acacia minimé hucusq. vsus sum ad medicum vsum, cum præstantissima apud me habeam chimicè parata medicamenta, & non hæc pauca tantummodo enumerata: sed propè infinita, cum enim nec otium, nec vasa, carbones, Mineralia, Vegetalia, &c. nec serui adiutores, liberalitate Illustriss. Domini mei, mihi desint, nec vlli sumptui parcatur, quo minus instructissimam Hermeticam officinam meam seruare queam, non erit mirum si multa multis in annis, quibus viuo sub Farnesiana vmbra mihi comparauerim, & composuerim. taceo iuuentutis tempus cum bo.me. Illust. & Reuerendiss. Inico Aualo Card. Aragonæ olim Domino meo transgressum, & non inutiliter sub chimiæ curiosissimo, & eruditissimo eodem Domino consumptum. Medicamentorum autem à me enumeratorum Encheriam, Methodum, & processum non est hic aptus docendi visus locus, aliàs Deo concedente.

Commoditas auctoris ad opera chimica.

Ad dolorem dentium etiam acaciam valere antiqui scripserunt. Ego veram curandi rationem in meis epistolis explicaui.

Auctor vixit quondam in Aula Card. Aragonæ.

Epistolæ ab auctore editæ.

HYIVCCA CANEDANA.



DE HYIVCCA CANEDANA CAPVT SECVNDVM.

Historia, & Descriptio Plantæ Hyiuccæ Canedanæ.

SECTIO PRIMA.

QVANTVM decipiantur illi, qui de rebus sibi incognitis verba faciunt, præcipuè in re Botanica, ex huius plantę, quá præ manibus habemus, examine, facile constabit. Missa nobis est planta ex Canada regione Hyiuccæ nomine, quam conferentes cum Hyiuca, seu Yuccaab aliquibus descripta, tam variat ab ea, quàm ij descriptores inter se, vt Monardes, Gomara, Ouiedus, Cardanus, atquè Scaliger: itaquè hærebamus cui magis credędum, vndè nostram Hyiuccam legitimam esse certò pronunciare iure dubitaremus (cùm eas regiones, vbi sponte, & satiue nascitur, & eam colunt) cartis tantum, & per somnium viderimus) nisi Indi quidam, & alij etiam, qui Hyiuccam in India viderunt, & commederunt, nostram aspicientes plantam testati essent, ipsam legitimam esse Hyiuccam ex qua panem Indi conficiũt. Quo manifestè patet paucam fidem tribuendam ijs, qui Indicas plantas auditu tantum describunt, vel etiam si ipsas illi viderint, Botanices tamen ignari, ineptè admodum describunt eas. sed ad nos. Certè pulcherrima est planta, semper viret, & Aloes modo propè radicem folia emittit, & eius modo explicantur successiuè è medio quodam veluti cornu abscedentia, in quo etiam Aloes modo impressa remanent vestigia: tandem vnicus, nec foliatus, sed ramosus, plurimisq. onustus floribus è medio insurgit Caulis Albuco, seù Hastulæ regiæ non dissimilis. Atquè foliorum ordo, situsquè quamuis Aloes modo appareant, vt sub eodem genere. liissimo genere referri deberi, videatur ambo: tamẽ quia hæc non crassa folia, sed macra, tenuiaq. ac lõga valdè, nec non Aloes multo copiosiora taliq. forma dispositа, vt Hemisphericam figurã visu raram, & pulchrã efformẽt, præterea cum sint etiam aculeata, nõ sine ratione Excellens Dominus Petrus Castellus Botanicus insignis dicebat posse appellari *Spherachantam*, si foliorum figura tantum in plantarum denominatione

Nostra Planta variat ab aliorum Yucca.

Descriptio foliorum.

Spheracanta potest vocari hæc planta.

FLORES HYIVCCAE CANEDANAE.



ne esset respicienda. Hæc autem ipsa folia tenuia sunt, macra, (vt dixi) dura, firma, & Iridis, Gladioliuè subsantiæ quodammodo similia, seu potiùs Palmæ: duos palmos longa sunt, & amplius, canaliculata etiam sunt adeò, vt in medio semicirculum fingant, & in summo semper magis conuoluta rotundam tandem efforment figuram, in aculeum deniq. desinunt rotundum, rectum, solidum, coloreq. fuscum; hæc præterea propè suum ortus principium paulo crassiora, & vnciam tantum vnicam sunt lata, indè paulatim ferè vsq. ad medietatem latiora fiunt, vsq. ad trium vnciarum latitudinem, à medio verò iterum decrescunt, ità, vt in tenuissimum, acutumq. desinant (vt dixi) terminenturq. Aculeum. Atqui foliorum margines (quæ eiusdem sunt cum Gladioli folijs colore) lineola ornantur tenui, leonataq. Caulis autem propè radicem situs, à quo folia ortum ducunt, crassitudine per diametrum 8. vel 10. vnciarum est. Flores Septembri mense apud nos produxere plantæ duæ anno 1616. quarum vna siccata, altera superstes est prole à radicibus vnica producta (Aloes autem modo producto caule planta tota emorta est) nec flores, caulemuè per quadriennū insequens produxit. Demum anno 1620. Nouemb. mense, & toto Decemb. florentē spectauimus. nunc anno 1622. floruit Maio, & iterū circà mediū Decembr. flores aperiri cæperunt, & produxere flores Ianuario, & Februario. Virgam è medio Hastulæ regiæ modo, tricubitalem, rotundam, leuem, & splendentem emisit, coloris totam sanguinei obscuri, in imo pollicis crassitudine, posteà paulatim decrescentem, & in plures ramos desinentem; ramuli pulcrè circumcircà caulem vestiunt concolores, & palmares 4. 5. 7. & 8. flores singuli continentes, quorum numerus centenarium transgreditur. Floris rudimentum, quum paruum est, & antequam flos aperiatur, liliorum nondum apertum florem æmulatur; verùm coloris est sanguinei obscuri, vti caulis, & pediculus, qui vnciam longus est, floresquè ipsi multum inter se distant. cum autem flos grandescit, & apertioni se accingit rubedo illa externa paulatim diluitur. Flos ipse sex constat folijs liliorum, Tulipæ, & Frittillariæ modo; tribus quidem exterioribus pars externa circa dorsum tantum (scilicet quæ in clauso, paruoq. flore rubebat intense) in aperto parum rubet, margineq. lati sunt, & candidi, sicut & interna pars tota, nec minùs candicant, niueaq. sunt interiora alia tria folia: in medio triangularis tubus, (seù vasculum est, forte seminis receptaculum) oblongus, dilutè viridis, & in summò dehiscens in tres latiusculas particulas, huic circumponuntur quinq. crassa stamina in summo aliquantulùm maiora. Floris positus Coronæ Imrialis, Lili Persici, & Frittillariæ modo deorsum nutat, vndè *Frittillariam maiorem* noster horti custos dicebat. nec flos iste perfectè vnquam

Flores.

Hæc planta appellata Frittellaria maior.

aperitur, dehiscunt tamen successiuè flores, & per plures vigent dies, deindè cadunt marcescentes, apud nos nullo quidem relicto semine, vt alba Lilia. Nullus penitus flori inest odor.

Censura aliarum de Hyiucca Relationum.

SECTIO SECVNDA.

Descriptio Yuccæ Mexicanæ.

NVnc non abs re erit aliorum de Hyiucca referre dictata, vt Auctorum varietas, & vanitas eluceat. Nicolaus Monardes, qui Indiæ Proregis Medicus dicitur fuisse in Historia Medicamentorum ex nouo orbe delatorum, quam ex Hispano in latinum transtulit sermonem Carolus Clusius cap. 53. scribit negotio amicis dato se accepisse ex S. Dominici Vrbe Yuccæ folia, & describens huiusmodi plantam. *Est* (inquit) *herba yucca nuncupata quinque, aut sex palmos alta, foliis latis, & manus humanæ modo expansis, atq. in septem, aut octo lacinias diuisis, perpetuò virentibus, seritur in terra probè culta, & in sulcos ducta fragmentis radicis. fructus* (radicem intelligendam hic interpretatur Clusius) *crassus est, glomeruli fili, aut magnorum Naporum modo, cortice exteriore fusco, parte verò interiore admodum candida, è qua* (cortice adempto) *panem conficiunt.* Hęc descriptio diuersa videtur à nostra planta, quia tamen radices concordare videntur, posset quis dicere de foliis: Monardem non rectè describpsisse folia, ea esse diuisa scribens *in aliquot lacinias*, cum sint indiuisa, quamuis possint dici manus modo expansa, vt etiam Palmæ fœminæ folia manus figuræ assimilantur. sed nolo vim facere huius verbis, præsertim cùm idem sentire videatur Franciscus Gomara Histor. Gener. cap. 71. vbi prouinciæ S. Marthæ dotes describens. *Radice seritur* (inquit) *non semine: digeruntur certa serie tumuli: deinde ipsius stirpis caules, qui solidi, crassi, nodosi, cinereique coloris sunt, palmitum modo præciduntur, & singuli in singulis tumulis, ita reconduntur, vt dimidia pars supra terram extet: vbi comprehenderunt, cubitali crassitudine crescunt: folia habent viridia, canabinis similia: summa verò tellure in radices Galicianis Napis similes conuertuntur. Operosa est eius satio, & cultura, attamen certa, quandoquidem fructus in radice consistit. Annuo spatio maturitatem consequitur: præstantior tamen redditur si biennio sub terra lateat.* Si hic dixisset, folijs esse Cannarum, idest Harundinum, non Canabis, fortasse cum nostra planta conueniret, an per Canabem in India intelligunt Aloem Americanam ex qua inibi filum extrahi audio, & fortè funes, & Canapos? quod verisimile videtur; & nostræ plantæ

Gomara assentitur Monardo.

Cultura radicum Yuccę

Coniectura de Canabe.

non

non incóueniens, vt suprà assimilauimus: at difficillimè apud nos propagatur, nec caules similiter propagabiles producit; sed fortè radix, & imus stipes illis in regionibus propagationi aptus. Cardanus de subtilitate lib. 12. Hyiuccam sic describit. *Herba similis sparto, quod Canepum vocamus. Radix tamen ipsa Carotis simillima; sed maior: intus tamen candida, exterius aspera, & coloris vinosi fermè.* Gomara in sua Historia (vt dixi) à quo sumpsisse Cardanum censeo Hyiuccam describit folijs Canapinis, Clusius in Annot. in Monardem. Canabis vertit, Cardanus verò (vt patet) sparti: quem certè Scaliger de subtil. exerc. 153. ineptè accusat. non enim confundit Genistam, & Spartum, Cardanus, vt falsò illi obijcit Scaliger; sed alia ratione forsan peccat pro Canape Gomaræ Spartum proponens. non enim certò scire possumus, quid Gomara intelligat per Canapum, (quod verbum funem apud nos sonat) an herbam ex qua canapi, & funes in Hispania fiunt, quæ Spartum Dios. est, an verò Canabem propriè dictam, quod mihi arridet, ex qua in Italia Canapes, & funes cõficiuntur, vel deniq. aliud herbæ genus ex quo in India Canapes, & funes conficiantur, vt Aloes America, &c. Scaliger ipse, ita Hyiuccam designat. *folio est Sambuci. Radix humanæ coxæ complet crassitudinem.* qui quidem longius, quam alij à nostra planta differt, & ab alijs omnibus dissentit.

Cardanus de Hyiucca.

Defenditur Card. contra Scaligerum.

Scaliger dissat ab omnibus.

Superioribus his assentitur Consaluus fernandus Ouiedus summario Indiarum Occident. c. 6. & lib. 7. Hist. gener. c. 2. vbi de Yucca agit. cui fidem præstandam censeo; nam lib. 1. c. 1. scribit se continuò habitare in Vrbe S. Dominici in insula Spagnola, & lib. 4. se dicit esse Capitaneum, & Castellaneum Arcis in Vrbe S. Dominici. in qua Yuccam colunt, & sic loquitur. *Planta Yucca vocata constat ex virgis quibusdam nodosis paulo altioribus, vel minoribus homine, crassitie duorum digitorum paulo magis, vel minùs pro telluris maiori, vel minori vbertate. duorum est genera Yuccæ: altera imitatur Canabis folia, seu manus humanæ apertæ extensis digitis figuram, & eadem magnitudine, canabinis verò folijs crassiora, maioraq. sunt. Quælibet autem frons 7. vel 9. secunctas, diuisasq. punctas, & mucrones habet: caulis seu stipes nodosus, vt dixi, est, atq. coloris cinericij, vel albidi folia ipsa valde viridia, pulchra, & visu grata in campis apparent. alterum genus ramis, & fructu non differt à priori. sed folio tantum: nam quamuis quodlibet folium 7. vel 9. diuisuras habeat, tamen aliam formam retinet. ideò vtriusq. folium hic posui.* Hactenus Ouiedus. Si igitur talia sunt Yuccæ folia, vt etiam ex alijs dictum est videlicet Monarde, & Gomara: quibus Cardanus subscripsit. nostra certè planta non erit istorum. Yucca occidentalis videlicet, sed alterius generis, Canedana scilicet, ab hac enim regione, quæ in Noua Francia est multum distans à Mexico,

Ouiedus de Yucca Mexicana.

acce-

Nostra Hyiucca à nullo descripta.

accepimus nos hanc plantam, itaq. fatemur nostram plantam non esse Mexicanam Yuccá à prædictis auctoribus descriptam, sed alterius generis, & valdè diuersam; sed eiusdem vsus, cum ex hac etiam fiat panis in Canada, verum nostra planta non videtur ab aliquo descripta. Mexicanæ Yuccæ folia sic pinguntur.

FOLIA HYIVCCÆ MEXICANÆ

HYIVCCA PRIMA OVIEDI.



HYIVCCA SECVNDA OVIEDI.



Hæ rudes foliorũ Hyiuccæ vtriusq. figuræ in Ouiedi lib. extant, quas afferre non piguit, vt lector benignus distinguere valeat Hyiuccam nostram Canedanam (à nullo hactenus descriptam) à Mexicana Hyiucca. Monardis, Gomaræ, Ouiedi, Cardani, & aliorum.

De Pane Hyiuccæ Mexicanæ:

SECTIO TERTIA.

Panis ex Hyiucca mexicana.

QVoniã autem de Hyiuccę planta sermonẽ cæpimus liceat quęso ipsius historiam prosequi, & agere etiam de mexicana. Nascitur hæc in India in Continenti in Prouincia S. Marthæ, S. Dominici, in Cuba, Hayti, & reliquis Insulis, ex cuius radice panem conficunt, quo Indi tot seculis vitam sustentarunt, & hodie etiam vescuntur Hispani. Sed mirùm in tota Insula S. Dominici vbiq. succus venenatus est, non alibi, vt refert Monardes; sed Gomara etiam in Cuba, & Hayti crudam radicem esitatam pernicioſam dicit, excipit tantùm S. Marthæ prouinciam. vbi. *Ea* (inquit) *cruda, assa, elixaq. vescuntur, & quocunque tandem modo parata grati est saporis*. Ratio panis ex ea conficiendi

Hyiucca vbi venenata.

doce-

docetur à Scaligero loc. cit. *Eam* (inquit) *redigunt in pollinem pumicum, aut Cotium attritione. tum in manicam indunt (sic enim vocant laneam cucullam. quod nos Colum, Pharmacopolæ) aquam imponunt, vt expressione transmittant succum. ille liquor lethalis est. Pultem, quæ reliqua est, exponunt soli sacchari candi specie: siccatam farinam, aqua subactam, in panis modum formant: quem panem Cassaui nominant.* Monardes. *Cazaui* appellari scripsit. Ouiedus *Cazabi*. aliter, & luculentius huius panis faciendi rationem docuit Monardes. *Repurgatum* (inquit) *suo cortice, iustrumentis quibusdam (ijs, quibus mulierculæ linum pectunt similibus) dente acuto, & firmo præditis in frustula secant, & comminuunt, quod comminutum est, in manicam ex palmæ foliis contextam injiciunt, & pondera quædam veluti grandes lapides superimponunt, vt suo pondere succum ex fructu exprimant, quo probè expresso, fructus crassior materies amigdalis tritis, & expressis similis restat, quæ patinæ iniecta lento igne coquitur, & densatur, subindè illam voluendo vti oua frixa solent: ea benè densata placenta fit nummi Hispanici octo regalibus æstimati crassitudine, quam soli siccandam exponunt. Hæ placentæ illis panis vicem præbent, multum nutriunt, possunt q. multo tempore incorruptæ seruari.* (anno seruantur ex Cardano, nos etiam diutius seruari posse censemus teste Ouiedo) *nam nauibus, quæ inde huc in Hispaniam appellunt, imponuntur panis biscocti vice, pro alimento. verùm fauces exasperat eius Cazaui vsus, nisi aqua, aut iusculo maceretur, aut alijs cibis commisceatur: ea etenim ratione edi potest; at qui siccum commedere vellet, altera manu vasculum aqua plenum perpetuò tenere necesse est, alioqui deglutire minime posset.* De hoc pane Cazabi exactissimè etiam agit Ouiedus, quem legito: nos huius panis Cazaui frustrum habemus acceptum ab Henrico Coruino Aromatario, & Botanico Romæ, quod ex India à Batauis delatum receperat à clarissimo viro Theodoro Clutio. cuius hæc est imago.


Panis ex Hyiucca conficiendi ratio.

Cazaui.

Panis Cazabi exasperat fauces.

Lati-

PANIS HYIVCCAE MEXICANAE.



Latitudo diametri huius panis, palmaris est, rotũdæ placẽtæ modo, in medio semidigiti crassitie est, in ambitu tenuiori colore, albo quidẽ: sed admistis furfuribus videtur enim placẽta ex alba farina facta, & furfure crasso. sapor nullus sentitur, sed exucci pulueris instar os afficit: ad huc perdurat incorruptus: sed cum Ouiedus duplicem afferat panis huius, seù placentæ, formam, scilicet *Cazabi* cuius altitudo semidigitum æquat, pro vilioribus, & *Sciauscrau* pro nobilioribus, qui tenuior est. huius generis nostrum frustrum iudicamus.

De Succo Hyiuccæ.

SECTIO QVARTA.

SI mihi circà huius succum philosophari licebit, considerandum proponam, quæ vis possit eius esse Veneni. Ouiedus. succum crudum pessimum venenum vocat, vt vno tantum haustu enecet, quod si ebulliat duobus, vel tribus feruoribus, iuris vice in vsum venire pro pane intingendo ait. sed dum calet, antequam perfrigeretur edi debere. decoctus ad consumptionem duarum partium, & triduo aëri expositus, dulcescit adeò, vt Sapæ vicem suppleat. quod si iterùm hic dulcificatus hoc modo liquor ebullierit, & aëri fuerit expositus, acescit adeo, vt aceti modo vsui sit. Monardes sic scripsit. *Sed mira est expressi succi iam numerati Natura; nam si homo, aut animal eum bibat, aut degustet, illico moritur, tanquam præsentissimum aliquod venenum hausisset: at si primum ferueat, & ad media decoquatur deinde refrigerari sinatur, Aceti vsum præbet non minus præstantis, quam si ex vino confectum foret. Si verò coquatur donec crassitiem acquirat, dulcescit, & pro melle est, vide quanti in rebus momenti sit coctio, quandoquidem præsens venenum in salutare alimentum, & potum conuertit.* Hic in reddendis tot mutationum causis Cardano, Scaligeroue subtiliores esse fas erit: itaque particulatim singula aggrediemur.

Succus Hyiuccæ Mexicanæ venenũ

Pro certò accipimus primo. Succum venenum, substantiam alimentum esse, ita Monardes, & cæteri: vnde etiam quæstionem posuit Scaliger exercit. 153. num. 5. lib. de subtil. his verbis. *Cur Hyiuccæ succus læthalis, farina salubris est? Eo modo quo Porri succus pernitiosus: Porrum ipsum editur sine noxa. Ratio pendet à duplici causa: vna est partium tenuitas: vnde est facilitas penetrationis: altera est libera qualitas, & facultas ad nocendum in succo ipso: posteaquam soluta est societas, quam inierat cum terrestri parte à primordijs ipsis ortus ipsius plantæ, quæ pars aduersa qualitate ferociam eius ita cohibebat, quemadmodum crassitie sua, tardabat celeritatem.* Pace

Ratio Scaligeri duplex.

Taxatur Scaliger.

Negatur paritas inter Porri succũ, & Hyiuccæ. Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Correctio Porri.

Quinta ratio.

Hippocr. de succo Porri.

Quale Hyiuccæ venenũ.

subtilis Scaligeri, dixero parùm subtilem hic ipsum fuisse. Nam primo negarida est paritas inter Porri succum, & Hyiuccæ liquorem, multiplici de causa. Primò, quia Porrus totus tam crudus, quam coctus, & cum suo succo absq. vllo nocumento editur. Hyiucca verò cruda, & tota cum suo succo in Insula S. Dominici, sine vitæ detrimento, vesci non possunt Indi: vndè succum separare coguntur. Secundò, Porri succus est verè succus expressus. Hyiuccæ verò dictus succus (si vera refert Scaliger supra citatus) impropriè succus Hyiuccæ est, nam additione aquæ fit, vndè potiùs tenuior quædam miscela, quam succus. Tertiò, succus Porri videtur quasi Homogeneus, & totus venenosus, Hyiuccæ verò heterogeneus apertè est, pars enim, quæ prima coctione exhalat, (nimirum tenuior) venenosa est. Quartò, Hyiuccæ succus coctura amittit venenositatem: an idem de Porri succo affirmare poterit Scaliger? contrarium potius censeo, & (veluti chymicum extractum) futurum suspicor multò validiorem crudo: quod quidem si impunè, & tutò experiri liceret, facilis, & cita esset experientia, & clara dubitationis huius explicatio. sed coniecturam nostram illud videtur confirmare, quia simplici coctura Porrum cum suo succo non corrigunt Galenus, & Dioscorides: sed bis decoquunt, hoc enim modo coctio prodest quidem succum à substantia separando, nimirum in aquam admistam deponendo: non tamen illum corrigit (Hyiuccæ modo) exhalatoria separatione, in vno enim coctio corrigit substantiam efilem, in altero potabilem. Quinto, Porrum sua acredine nocet, vndè Galenus de cau. morb. c. 2. *Vsus immoderatus esculentorum acris, & calidæ qualitatis, veluti alliorum porrorum, caparum febrem aliquando suscitauit.* Venenum autem est, quia sanguinem educit, vt habet liber de Dinamidijs inter Galeni spurios. *Sanguinem* (inquit) *purgat porri capitati succus dracmæ vnæ.* & liber alter de Catharticis etiam inter Galeni spurios. *Sanguinem educit porri succus.* quod idem apud Aetium legitur serm. 3. cap. 56. Et fortasse hoc est medicamentum illud, cuius meminit Galenus, quo educebatur sanguis (fortasse dico, nam inuentor ille non succo vtebatur illius herbæ, sed contactu vim iquenit, posteà succo, vel substantia vsus est?) At educere menstrua constat, nam Isaac de Dietis, & Rufus apud Serapionem supposítum succum ea educere scribunt. ac contrà opponi video Hippocratem tum his, tum Scaligero, & cæteris. Nam 2. de morb. mul. in mea Cornari versione in 4. fol. 372. *Potio ad fluxum, & omnes morbos, qui ab vteris fiunt. Ferulæ rasæ Acetabulum, & porri succum in vino albo diluto. Hoc etiam ex naribus manantem sanguinem sistit.* Sed quicquid sit de Porri succo. Hyiuccæ succus venenum illicò necans est, & fortasse strangulans: etenim (vt aiunt) panis ipse etiam si succo priuatus, & co-

ctus

ctus fauces exasperat, & siccus deglutiri nequit. Accedat etiam aliud, nimirùm ex Dioscoride, & Auicenna. *Porri succus ex melle potus contra bestiarum morsus auxilio est.* Hyiuccæ autem succus crudus nunquam salubris. ex quibus patet ineptam esse comparationem succi Hyiuccæ ad porri succum: ex his similiter clarum est subtilissimum alioqui Scaligerum nimis crassum hoc loco euasisse. Sed vltrò pergamus. causam affert duplicem; sed non (meo quidem iudicio) exactam. Prima causa huius succi malignitatis (ex ipso) est partium tenuitas, à qua est facilitas penetrationis. ridicula certe causa. Nam si partium tenuitas est causa, ob quam Hyiuccæ, nec non porri succus venenum est, omnes succi, & omnia medicamenta, quæ partium sunt tenuium, immo omnia Spagirica (quæ tenuissima sunt) maxime erunt venenata; quod sanæ mentis nullus cõcedet. si dicat succum per se maleficum, separatione à fœcibus, quia attenuatur, validiorem effici: nõ erit ergo venenosior, quia simpliciter substantia tenuior est reddita; sed quia segregatus à materia crassa ipsius acrimoniam, & malam qualitatem obtundente: vndè porri succus nunquam venenum, nisi à parte crassa separatus. Hyiuccę verò radix integra venenũ est, etiam non expresso succo, scilicet cruda. Quare rectiùs statuendum partium tenuitatem in qualibet re ad penetrationem faciliorem, & ad actionem citiùs perficiendam, facere. vndè ob partium tenuitatem nullum medicamentum dicemus nocuum, vel salubre: sed si salubritati accesserit tenuitas, salubrius dicetur, si verò cũ malignitate aderit etiam tenuitas, dicetur nocentius. ergò in Hyiuccæ succo necessario adest summa partium tenuitas, quæ citissimæ (non malæ) actionis causa est. Dicitur enim degustatus succus illico necare, tenuitas enim, vt dixi, non est causa actionis, sed facilioris, & citioris actionis. Secundam deinde causam afferens Scaliger dicit, succum separatum habere facultatem liberam ad nocendum, at mistum cum terrestri parte aduersa qualitate ferociam cohiberi, crassitie celeritatem retardari. At neq; hæc causa pro vera nobis recipienda venit, habere quidem locum potest in porri succo: nam hic crudus, & totus cum suo succo esitatus non nocet, separatus autem succus venenum dicitur. At in Hyiucca alia ratio est, hæc enim cruda, & cum suo succo commesta venenum est semper in aliquibus Regionibus, nec tamen succus liber est à crassa materia, & ab aduersa qualitate: quo patet ineptè venenositatis causam assignari, succi separationem, cum etiam non separatus noceat, teste Gomara, qui scribit. *Hyiucca, quę in Cuba, Haycı, & reliquis insulis nascitur perniciosa est, si cruda edatur.* Quiedus dicit esse alteram speciem dictam Bonata, quæ innocua est, & cruda edi potest. Ego vt venenositatis causam huius Hyiuccani succi inquiram, statuo primo (ex dictis ci-

Refellitur causa veneni ex Scaligero

Contra primam causam Scaligeri.

Tenuitas nõ agit, sed actionem iuuat.

Contra secundam causam à Scalig. allatam.

Auct. opi. de vene. Hyiuccæ.

tatorum auctorum) Venenum Hyiuccæ succi (si succus propriè dici potest, pars substantiæ tenuis aquæ additione extracta, vt vulgaris dictus liquiritiæ succus) expressione à reliqua substantia ex parte tolli, non penitus: nam adhuc cruda etiam abstracto succo, alicubi non est esilis. Secundò, statuendum ab extracto succo venenum coctione tolli coactum calore in auras euolare; & patet etiam, quod remanserat in fecibus venenum, coctione tolli, quia fœx relicta pani conficiendo inseruit, quo salubriter (inquit Monardes) vtuntur Indi, & in quotidiano est vsu pro nutrimento, non solum Indorum, sed etiam Hispanorum. succus igitur (seù tenuissima substantia) non substantia crassa, venenatus erit; imò huius particula quædam sola, quæ coctione tollitur; sed vt particulatim hunc consideremus succum, dicendum Heterogeneum esse, nec totum venenum, vt patet ex eo, quod decoctus ad mediocratem non sit amplius nocuus; sed pro aceto inseruiat. decoctus ad crassitudinem, mellis, seu sapæ loco habeatur. Itaq. ex hac Indorum vulgari per coctionem separatione, triplicem succi partem agnouimus.

Non totus succus venenum.

Venenatam, quæ primò exalat. Acetosam, quæ secundo euaporat. deniquè melleam dulcem, quæ remanet. Nec dubito quin peritus Spagyricus adhuc plures partes diuersas arte sua separaturus esset, si præmanibus talem haberet succum. Atq. saporem in tali succo Acidum, & Melleum separatione apparere, non calore gigni sentio, sicuti in alijs multis chimicis processibus accidit, vt rectè Petrus Castellus in Dodechaporio Chalchãtino dub. 31. pag. 321. & 322 Nos verò tùm Acetosa, tum Mellea, alijsq. derelictis partibus) substantiam, qualitatesq. huius primi succi tantùm considerabimus, qui venenatus est. Cum igitur pars venenosa coctione primò euaporet (vt ferunt) oportet reliquarum partium tenuiorem esse, atq. hæc quidem pars tenuior coctione, & destillatione primo ascendens potest esse (vt chimicis est notum) vel aquea, vel aërea, & spiritalis, exemplum est in vino, a quo primo ascendit pars aerea, & spirituosa, secundo Aquea, In Vitriolo vero, & aceto primo pars aquea tenuis ascendit. secundo, acida, & spirituosa (vt volunt aliqui, quibus tamen in aceto reclamat Libauius) quod accidit prout materia ignem, & calorem passa hac, vel illa substantia tenuiori, & separabiliori magis abundat. seù prout spiritalis substantia residet in parte, aquea, vel terrestri; in aquea, vt vini spiritus, qui primus ascendit; in terrea, vt Vitrioli spiritus, qui post flegma ascendit; seù spiritus (hermeticè loquendo) residet, & producitur, vel à sulphurea parte, vt in vino spiritus ardens, vel à Mercuriali, vt in Vitriolo, in quo spiritus post flegma, & ante oleum dictum ascendit. hoc autem ex Vitriolo vltimo ascendens atrum, salsa pars est. vel deniq. spiritus ex

Sapores non gignuntur ab igne.

Vt separentur spiritus destillatione

par-

parte saligna magis deducuntur, & abstrahuntur, tunc vltimo alcedunt, vt in aliquot aquis fortibus. sed hęc alio spectant. In Hyiucca igitur primò separabitur coctione pars tenuior, quę vel erit aquea, & insipida, vel spirituosa, aerea, & acuta. atq. in altera ex his illius venenum contineri fatemur, quod si nobis licuisset hunc destillasse succum (quod non licet in nostra Canedana, quæ est alterius generis) facilè nouissemus eam, quæ exisset; humiditatem. sed posteà quam huius succi destillandi non datur facultas, imaginatione id assequi tentabimus, censemus igitur cum eruditissimo Botanico, & Spagirico, nec non Hippocratico Medico Petro Castello, cum quo familiariter de hac re loquuti sumus, venenositatem esse in parte acuta, & spirituosa; nam actionis vehementia, & celeritas, non nisi acutam, & spirituosam substantiam arguit, inæ sipidum enim phlegma, parsq. aquosa quamuis tenuis, & primo euaporabilis actionum celeritati nequaquam apta iudicatur. hęc est nostra opinio, sentiant quid velint alij, in re dubia, liberum est cuiq. suum iudicium.

Coctura succi Hyiuccæ quid primo separatur.

Petri Castel. opinio.

Sed simul etiam alterius accidentis reddenda est causa: nam scribit Monardes. *Nec minore admiratione dignum est, omnem Yiuccam in continenti nascentem, tametsi ei, quæ ad Sanctum Dominicum nascitur (ex qua Cazaui fit) similem, salutarem esse, eiusq. fructum* (radicem velle censuit Clusius) *edulem, & succum inde manantem potabilem, nullamq. noxiam ad ferre: eam autem, quę ad Sanctum Dominicum prouenit (quacumque tan..... ratione edatur) eiusq. succum non coctum, perimere. Locorum verò naturam tanti momenti esse, vt quod salubre alimentum in continenti præbet, id in omnibus insulis præsens sit venenum. Quemadmodum Columnella de Persico scribit, perniciosum venenum in Persida fuisse, at vbi in Italiam translatum fuit, noxium illum succum deposuisse, & suauem, salutaremque præbuisse.* igitur in continenti Hyiucca, & cruda, & non expressa sine nocumento editur, & succus similiter bibitur, at in Insula S. Dominici, & reliquis Insulis, & Hyiucca cruda, & succus itidem crudus pernicioſa; & eiusdem est sententiæ Gomara. *Yucca* (inquit) *quæ in Cuba, Hayti, & reliquis Insulis nascitur, pernicioſa est, si cruda edatur, in prouincia verò S. Marthæ salubris. Ea cruda, assa, elixaq. vescuntur, & quocunq. tandem modo parata grati est saporis.* Si igitur hæc vera sunt; Hyiuccæ succus non vbique terrarum malus est; vnde venenositas Hyiuccæ non est illi naturalis, cùm non sit semper talis, sed adscititia, & accidentalis: nàm in continenti, & in Insula S. Marthæ succus crudus potabilis est sine nocumento. Ex quo patet nihil ad rem facere subtilia Scaligeri verba: nam Hyiuccæ succus venenosus à non venenoso, neque partium tenuitate, neq. separatione aliqua differre videtur, quæ pro causis veneni ille attulit;

Hyiucca in continenti nõ venenosa.

Hyiucca in insulis tantum venenata.

Venenum à Regione sumit.

sed

Venenum nõ à cæli aspectu & aere?

An ab aquis?

An à terra?

Locus vt efficiat plantas Venenatas.

sed re vera fateri oportet venenum à Regionibus sumere, & loco natali, vt expressè etiam adnotauit Monardes. Verùm si venenum à Regionibus sumit, dicendum, vel ab earum prouinciarum aere, quo ambitur, inficij; vel aqua, qua irrigatur & succum desumit; vel à terra qua nutritur; vel deniq. à cæli positu, & aspectu peruerso, & maligno de quo nihil in præsenti dicam, nam variant aspectus cœli, & cum semper Hyiucca ibi venenata, quis ò Astrologe dirus aspectus tam diuturnus? & cur non inficit alias omnes plantas? At si ab aere malignitas Hyiuccæ adueniret, cur hominibus, & alijs plantis non æquè nocuus aër? Nec censeo adeò veneficam vim ab aquis illarum insularum prouenire, & si sciremus Hyiuccæ succi destillatione primo exire aquositatem, & phlegma, possemus fortè dicere, regiones magis aquosas venenosam Hyiuccam producere, quia fortasse corrumpatur, ob nimiam aquositatem circà radices, pars quædam aquea elementaris Hyiuccæ radicis, quæ tali putredine prauam concipiens qualitatem, posteà venenum hominibus sit, & ità venenosa qualitas in aquea portione erit residens: sed cum non constet de maiori, vel minori aquarum abundantia in illis Insulis, nec an sint magis, vel minus montuosæ, Vallatæ &c. ob id affirmare nequeo in sipidum phlegma venenatum; magis autem menti meæ satisfacit (vt paulo antè dixi) imaginari acrem, spirituosam, & aeream primam destillatione sursum ferri particulam, quæ quandoq. veneficæ qualitatis sit subiectum, sed fortè ex putredine aquæ, & terræ huiusmodi (quibus nutritur Hyiucca) spirituositas mala accidit, vt effectus sit alicuius alimenti putridi. Nec enim à simplici terra vbi nascitur malignitatem acquirere suspicor, ob malos ibi contentos succos, possent enim esse ibi Sandaracha, Auripigmentum, Cadmia fossilis, vel huiusmodi alia nobis suis qualitatibus infesta, in quibus natas plantas, praua qualitate carere, absurdum est asserere. Sed plurimum terræ istæ malignæ steriles sunt. tamen Diligens Mesues nos admonet, vt colligamus *Polipodium super arborem nascens, nàm in lapidibus natum humiditatem habet superfluam, indigestam*. sic etiam vult nata in locis liberis, non Thermalibus, Serpentariam, Arum, Esulam, Mezereon, Squillam, Absinthum, Hermodactilos, colocyntidem, aliter venenata dicit. reprobat etiam aliquas plantas, quæ vnicè natæ reperiuntur in aliqua regione, vel loco, vt colocintidem, squillam. societate alias gaudere scripsit, vt de Hermodactilis. *Ortus eius in vicinitate scillæ meliorat in conditionibus suis, & similiter in vicinitate raphani*. & de Colocyntide sic expressè scribit, *& quæ nascitur in terris fortibus, & puluerulentis, aut iuxtà loca reptilium, aut in locis Thermarum mala. Quæ autem nascitur in terris laxis, & arenosis, & liberis, est quæ eligitur*. de fungis etiam notum vicinitate ferri, panni,

ser-

serpentis mortui, vel eius caueæ, aut plantæ noxiæ (teste Dioscoride) ex salubribus lethales fieri. cùm igitur non constet genus terræ illarum insularum, & an ibi animalia venenata particularim genita radices has inficere possint, vel vicinia aliarum plantarum pernicioſarum, vel an genus culturæ ab illis incolis ibi varietur, nihil certi affirmari poterit. nec Cardani, nec Scaligeri subtilitates satisfacere poterunt, immò nec Pelopis acuties Galeni præceptoris in reddenda cuiusq. rei causa. nobis, vt dixi, suspicio magis placet, putredinem alimenti plantæ, perniciei causam adducere, ortam, eo quod planta ijs in locis rectè concoquere nequeat alimentum attractum, & ita ob debilitatem coctionis putridam, & venenatam acquirat qualitatem, at dubium est, an illa coctionis debilitas procedat ex parte succi attracti, vel facultatis læsæ ab ambiente; hoc incolis iudicandum relinquimus; nos satis lusimus circa hanc materiam imaginatione vagantes, cum non liceat, tam facile illas adire regiones, vel à doctis veritatem de visu audire.

Probabilior opinio:

Sed non tacendum videtur, quod mihi à nostræ plantæ acutis, solidisq. foliorum mucronibus casu puncto in manibus accidit, dolor enim adeò sæuus, & ingens illicò acceſſit, vt ferè apud me amplius non essem animiq. fastidio afficerer, ac spasmum timerem. confugi quo potui citiùs ad *Balsamum* meum *vulnerarium Aldinum* dictum à me, quo inuncta plaga statim in miraculum vsq. dolor, & omnia accidentia sedata. Hoc balsamo (post quam in huius mentionem incidi) à me excogitato, & plurima experientia comprobato, nullum præstantiùs inueniri posse imaginor, cuius vires in atrociſſimis vulneribus, & alioqui letalibus, atque etiam venenatis, non apud Aulicos tantum Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini mei innotuere, at que ipsi subiectis gentibus, terris, arcibus, & pagis: sed apud Romanos etiam plures Principes, & nobiles viros, matronasque, immo in vsu etiam plurimo est Romanis aliquot primarijs Chirurgis id à me sæpè efflagitantibus. Et Inter hos D. Prosper Cecchinus Chirurgus Romanus primarius, & Medicinæ doctor meo balsamo fœliciter curauit Perillust. & Reuerend. P.D. Varesium, insigni capitis vulnere, & contusione ob casum ex vehiculo. curauit etiam Franciscum Eunuchum, & Cantorem Illustriss. & Reuerendiss. Card. Burghesij, necnon Capellæ S. D. N. ex capitis vulnere, etiam cum deperditione substantiæ cerebri, in syncipite, vt notum Romæ est, & adhuc, & sanus, & viuens est. & plurimi alij etiam sanati sunt. Inter cæteros verò Medicos, quos honoris gratia hic enumero, efficaciæ nostri Balsami testes, nulla exceptione digni, esse poterunt Illustriss. & Reuerendissimus *Dominus Cintius Clemens*. Sanctissimi Domini Nostri Pauli Quinti, olim Medicus dignissimus. nec non Perillustris,

Punctura foliæ Hyiuccæ Canedanæ dolorosa.

Balsamum vulnerarium Aldinum.

Medici præclariſſimi Romani.

teris, & excellens *Dominus Ioseph Ghislerus* Principis mei Illustrissimi, ipsiusq. nobilioris familiæ Medicus; immo etiam maximè Perillustris, & excellens *Dominus Petrus Castellus* Medicus Romanus Spagiricæ artis peritissimus, & simplicium, animalium, atque metallorum perscrutationi deditissimus, atque amicus meus singularis. alijq. testes esse poterunt præclarissimi Medici, Chirurgi, & pharmacopei, qui non hoc solum a me receperunt medicamentum, sed alia etiam plurima celeberrima, & efficacissima, quibus Dei gratia, & Odoardi Farnesij Principis, & Cardinalis Illustriss. & Reuerendiss. Museum nostrum Hermeticum abundat. sed vinum per se vendibile non eget suspensa hedera.

Nostra Hyiuca Canedana videtur Harundo Aetiopica Diodori.

Nunc addēdum mihi videtur hanc plantā fortasse etiam antiquos olfecisse. lego enim in Diod. Siculo rerum antiquarum lib. 4. cap. 3. *In Aethiopia, quæ suprà Aegyptum est, iuxtà fluuium, quem Astapam vocant, inhabitat gens, quam Rizophagos vocant. Radices enim arundinum, quas ex propinquis locis effodiunt, magna cura lauantes barbari, lapidibus terunt, quoad molles factæ cohereant: deinde placentas ad modum lateris quantum manus capit factas, atq. ad solem decoctas mandunt.* & hic nostram Yuccam innuere videtur, quæ folia arundinum ferre videtur. Sed Regiones hæ, de quibus loquitur Diodorus, multum distant à Canada.

DE MARACOT

CAPVT TERTIVM.

Passiflora incarnata L.

Descriptio Plantæ Maracot.

SECTIO PRIMA.

NVLLA Indica planta magis (quod sciam) ab Europeis desiderata vnquam est hac, quam describendam nunc susçipimus. Hæc ex relatione, & reminiscentia quorundam, quamuis imperfectè delineata, in maximo habita est honore. Hæc à curiosis ob raritatem summè expetita. Hæc à poetis diuinis laudibus decantata. Hæc ab oratoribus omni eloquentiæ genere celebrata. Hæc à philosophis subtilissimis rationibus perscrutata. Hæc à medicis ob saluberrimas vires mirè commendata. Hæc ab ægrotis diù efflagitata; Hæc à Theologis admirata, à pijs Christianis venerata. Denique hæc ab omnibus cuiusq. naturæ, & conditionis gentibus, ob formæ elegantiam, misteria, vires, & alia, mirum in modum exoptata, & perquisita diù fuit, & adhuc est. Hæc planta à multis desiderata.

Dictam esse Indis audio *Maracot*, ab Hispanis verò quibusdam *la Flor de las cinco llagas*. ob aliquas (vt aiunt) floris maculas. ab alijs fructus gratia, qui paruo assimilatur Granato, *Granadilla*. vt testes sunt Nicolaus Monardes in Historia simplicium noui orbis cap. 66. & Petrus de Cieza parte prima Hist. Peruuanæ. cap. 28. ab Italis autem communiter *Fior della Passione* dicitur, imaginatis multa signa continere Passionis D. N. Iesu Christi, quod nomen, quàm apte illi tributum fuerit iudicabunt posteà lectores. Nascitur ex Monarde sponte in Peruanis montibus. Cieza autem. *Amplam istam vallem* (inquit) *de Lile dictam, in qua Oppidum Cali, mediam secat flumen, cuius ripæ abundant fructibus eius loci, inter quos grati admodum saporis, & iucundi odoris est Granadilla nuncupata.* Sanè Iacobus Bosius in sua Cruce Triumphante lib. 2. cap. 6. ex relatione Ioannis Osorij scribit oriri sponte in Peruanis Indijs à Regione, qua in Prouinciam Benezuela ingreditur, vsq. ad totum Regnum Granatæ, atq. etiam in noua Hispania, Guatemala, & Aguagacha. aliorum verò Religiosorum relatione nasci scripsit in Regno Granatæ, Nomina.

Vbi oriatur.

MARACOT INDICVM.



Tocaimæ, Vagæ, Cartago, Vuga, Almager, Pasto, Quito, Lima vrbe, Guamanga, Cusco, Iuli, & haud dubium est quin etiam in alijs plurimis Indiæ regionibus reperiri possit, quamuis scribat Monardes *raram esse plantam* (fortasse suo tempore) *& quæ dumtaxat in vno loco reperiatur.*

Planta hæc viuiradix est, seu Natura sua perpetuæ radicis: fructicosa, repens, & amplexicaulis, vnde scripsit Monardes Hederæ similem esse, eodemq. modo repere, & scandere quocunq. loco ponatur, sed paucioribus viticulis, non tot filamentis, & radiculis, vt Hedera ascendit, nec cauliculo se contorquetur suo, vt Scammonium, & volubiles alij. Scribit Bosius Plantam hanc ex se vim non habere in altum se erigendi, nisi inuenerit adminiculum alicuius ligni, vel arboris, ob id continuo super terram repere, & fructicare: sed alterius arboris, vel ligni adminiculo reperto breui id æquare, & superare, illi se annectendo vinculis quibusdam, vti vites solent. Postea ex relatione cuiusdam fratris Hieronymi de Aguero narrat: Limæ vrbis incolas in suis viridarijs ex hac Granadilla sibi constituere amplas pergulas, sub quibus, vmbra, & frigida aura fruentes, sæpè cænant magna voluptate. Apud nos quoq. his quinq. annis (vt nobis conspecta referamus) se harundinibus amplectens suis capreolis ascendit ad altitudinem quinq. vel sex brachiorum, & magis ascendisset, si adminicula fuissent altiora, pluribus ab radice cauliculis prodeuntibus. A terra autem prodijt è semine primum binis cordatis foliolis erucæ in modum, cætera deinde folia, quæ caulem ambiunt, singularia orta sunt, alternatim dispositа modo ex vna parte, modo ex altera; ita vt alterum ab altero trium digitorum trāsuersorum spatio distet. Solidiori autē, longoq. prædita pediculo adhærent cauliculo. Porrò frondium figura quasi trigona est, similitudine autem foliorū Sambuci roseæ; sed magis sectorum, seu potius Lupuli foliorum: nimirū ex tribus veluti partibus profunda incisione discretis, principio tamē probè vnitis in vno folio, quorum medium segmentum aliquāto maius cæteris existit, & in sectionis imo semisphærica efformatur cauitas rubicundis oris exornata. Et quidem sunt folia longitudine quatuor, vel sex vnciarum, minutim circumserrata, lenia, tenuia, & imbecilla, aliquantum venosa, colore subuiridi, infernè candidiori, qua parte pediculus oritur granula foliacea duo annectuntur, odore sunt ingrato, & veluti amarædulcis, vel stramonij, insuper obseruauit Horti custos admodum diligens museas depascentes in illis manentem Rorem, inibi etiam deperire, quod idem ex stramonij folijs etiam accidere obseruatum est.

Natura Maracot.

Volubiles.

Vsus plantæ Maracot.

De folijs.

Obseruatio Olitoris.

Hinc patet, quantum à veritate distent verbales relationes Doctissimo Bosio factæ: nam descripsit folia, vti Aranciorum indiuisa, & acu-

FLORES MARACOT.



minata, ferro, qui summis lanceis imponitur, similia, & scribit etiam auctor libri de hoc flore Bononiæ editi. folia esse magna, viridia, & densa figura ferri, qui pingitur cuspidi lanceæ, qua latus D. N. vulneratus fuit. Nos non aliorum reminiscentias; sed quæ ipsimet vidimus, & accurate considerauimus, & sexcenti alij, nobis Romæ commostrantibus, viderunt, nunc referemus, & viuentem adhuc plantam cuique ostendere solemus.

Falsæ relationes foliorum Maracoc

Cauliculus cum trium palmorum altitudinè adoleuerat per diametrũ quartam vnciæ partem æquabat, non tamen postea crassior factus est; sed æqualis, eiusdemq. semper magnitudinis in tota planta permansit, rotundus etiam, & leuis, detracto cortice per longum venosus, & qua parte solem aspiciebat, veluti sanguine perfusus, altera verò viridis.

De Cauliculo.

Cùm primùm è terra emersit obrutum semen tria, vel quatuor (ordine dicto) folia produxit, tria verò subsecuta viticulas, seù capreolos socios habuere, longitudine palmari, crassitudine, vt ijs vitibus, & duriores, & non diuisibiles in duos, vel tres; sed vnicos, & simplices, colore, vti suus cauliculus, viridi, & parte altera sanguineo; quibus se vicinis plantis, & harundinibus pluries torquendo, & complectendo, fortiterq. adhærendo in altum mirè assurgit; & summa celeritate; sed cauliculus ipse nequaquam se conuoluit, ac cõtorquetur (vt falsò retulerunt) Hederæ instar. Post quæ omnia deinceps subsequuta folia simul cum capreolo florem, & quandoque etiam gemmam noui surculi sortita sunt.

De Viticulis

Futuri floris Calix vnicus pro quolibet folio insidet forti, robusto, tenui, & erecto pediculo, in rotunditate quasi trilatero, ac trium ferè vnciarum longitudine. Atque Calix iste clausus altitudine sesquiunciæ, digitiq. maioris crassitie est: pentagonus figura, & non dissimilis Melantij capitulo iam defloratо, & semunculorum pleno, verùm non integer, vt ille; sed ex quinque occlusis, constrictisq. folijs constans, summoq. clausi calicis insunt quinque cornicula parua, erecta; quartę partis vnicæ altitudine, scilicet folijs reseratis insidentia. Paruulus quum est Calix totus colore viridi spectatur, cum verò apertioni properat, circà segmenta albedo apparet: in extremo quoque calicis fundo, quo pediculo committitur, tres paruæ apendiculæ spectantur, quarum quælibet videtur foliolum cum duobus granulis: anno 1619. floruit mense Augusto, 1620. Iulio 1621. Iunio, & ab imo primum flos dehiscere incæpit: continuo posteà floret vnusquisq. cauliculus, vel quotidie, vel alternis diebus se aperientibus succedentibus floribus.

De Calice floris nondũ aperto.

Floris figura hæc est. Calix cum in florem aperitur, dehiscunt primo illa quinque externa folia subuiridia ab extrà, intus verò alba, quæ

cor-

Floris figura

cornicula in summo gerunt, post quæ spectantur alia quinque alba foliola tenuiora, & flaccida non corniculata; sed folijs rosarum similia, aliquando tamen strictiora, quæ inter illas posita, expanso flore, Roseę figuram efformant valde extensam, deorsum aliquantulum pendentibus subuiridibus illis corniculatis folijs. super quæ in Orbem spectatur duplex ordo filamentorum, mira serie positorum: nam à quodam medio circulo prodeuntia, & se circumnectentia pulcram radiantem efformant rotam, atq. eam duplicem combinata filamẽtorum serie. pro quolibet autem ordine filamenta octuagesimum æquant numerum, rotunda, crassiuscula, succosa, longitudine sesquiunciæ, in extremo tenuiora, acuminata, & aliquantulum circinnata, colore quidem subuiridi, sed punctis atropurpureis adeò maculata, vt ferè tota purpurea appareant, atq. in his filamentis in orbem extẽsis, dum benè dilatatus est flos, ex dictis purpureis punctis, modo magis, modo minus obscuris, duo spectãtur circuli magnã flori venustatẽ afferẽtes: adhuc etiam centro propinquius duplex spectatur ordo breuissimorũ purpureorũ capillamentorum densissimè in circulũ positorũ, quasi lineæ duæ satis inter se distinctæ. deindè etiã magis versus mediũ alter est ordo capillamentorũ paulo longiorũ mox dictis, sed atriorũ. Rotunda deinde est area viridis, & splendens, ac nitida, in cuius medio, centrum totius floris obtinet, crassior, exalbidusq. pediculus columnulæ instar, & in imo crassior paulò, postea tenuior, cui insunt quinq. crassa stamina colore viridi diluto, purpuronigris punctata maculis cum suis luteis, & satis magnis appendicibus, vt in albis lilijs, quæ cum primo flos dehiscit per quadrantem horæ non amplius, appendicibus sursum dispositis, & stellam efformantibus, recta spectantur; sed cùm paululum flos processit, & omninò est expansus, hi petioli retorquentur, & luteæ appendiculæ deorsum pendentes nutant. suprà hęc in floris medio fructus rudimentum locum habet viride, rotundum cùm aliqua oblongitudine, seù quinquangulum, acsi obscuras haberet strias, magnitudine ciceris parui, seù magni grani tritici. Huic denique quatuor insunt, interdum quinq sed vt plurimum tres tantum crassiores styli, & ipsi capitati, seù in summo crassiores cum quadam rotunda triangularitate, vt claui quasi caput forment, & fingant, hinc à multis claui sunt dicti. viridi colore, & purpureis punctis: in flore clauso coniuncti primo sunt, & erecti, mox aperiente se flore, disiunguntur, & eo tempore appendiculę (vt dixi) supra florem stellam efformant quasi auream nimirum flore semiaperto, quod euenit breuissimo tempore, sed statim atq. flos fuerit optimè expansus, momento temporis, & in instanti (vnde nisi quis continuò, & assiduè florem dehiscentem aspexerit diligenterq. hoc non notabit) contorquentibus se

Crassa stamina.

Fructus rudimentum.

Supremi styli capitati.

illis

illis quinque pediculis, seù crassis staminibus, & stellæ coniunctæ delentibus formam appendiculis deorsum contrario modo versis, ita etiam eodem tempore clauiformes superni styli contorquentur, & deorsum vergunt, quæ floris apertio, actio, & motus, pluries à nobis magna diligẽtia, & attentione inspecta, magnã oculis, & animo curiosos voluptatẽ, & iucunditatem attulit. Flos in meridie ipso expanditur, & citò, & latissime, sic etiam remanet nocte tota, sequenti die paulò post solis ortum clauditur omninò in campanulæ satis angustæ formam, adeòq. breui marcescit, vt 24. horarum spatium apertus minimè pertingat.

Excusatio Auctoris.

Longior, & nimis diligens videbor fuisse in hoc explicando flore, sed necessarium id visum fuit, vt dilucidarentur, & clarè innotescerent ea, quæ huic tribuuntur flori, an vera, vel falsa, & adscititia sint. veritati quidem non obstitit Monardes scribens. *Florem habet albæ rosæ persimilem, in cuius foliis aliquæ veluti passionis Christi figuræ delineatæ conspiciuntur, quas magna diligentia istic pictas existimes eam ob causam elegantissimus est flos.* Verùm Auctor Bononiensis scribens vnicum tantum habere folium campanulæ instar, non leuiter est deceptus, præterea simul cùm Bosio Coronam addens 72. spinarum, merum figmentum attulit: sed excusandi hi sunt; nam relata referunt, & admirantur, & qui retulerunt (alioqui viri grauissimi) non perfectè poterant reminisci veræ formæ, & omnium particularitatum: sed aliorum scriptis omissis, veram plantam in Horto Illustriss. Domini mei viuentem pro Theologis (si licet) quæso considereremus (intra meos tamen terminos.)

Christiana floris consideratio.

Qui in summo sunt claui adeò perfectè sunt figurati vt addi nihil possit, interdum tres, interdum quatuor sunt, & etiam fuere, qui tres, & qui quatuor D. N. I. C. Clauos fuisse docerent, (sed obstat in aliquot floribus, quinq. vt dixi clauos apparere) in flore aperto contorti sunt, & atris punctis maculati, quasi sanguine infecti, & iam è cruce sublati. fructus rudimentum in flore ipso spongiæ potest comparari, quæ cum aceto, & felle oblata Saluatori in cruce fuit. Stella verò in semiaperto flore, cælestis Domini passionem, seù stellam Magis præeuntem, in aperto verò hæ quinq. particulæ multa alia possunt significare, vt quinque plagas. Basis fructus, & illorum quinque pediculorum, Columnæ, cui illigatus Dominus fuit, non obscurè assimilatur. filamenta verò fustibus perbelle assimilabuntur sanguine perfusis (nõ coronæ vt aliqui) circuli autem illi purpurei in filamentis apparentes coronam spineam sanguine madidam ostendent. alba folia puritatem, candorem, & albam vestem Saluatoris demonstrabunt. Corniculata folia, & intus alba, ab extra viridia spem, ac puritatem cum aculeo, idest penetrantem, quibus præditus debet esse quilibet fidelis, & misteria Christi passionis am-

plecti

plecti. folia sunt vnica, quia vnus Deus, trigona, quia tres personæ. Planta natura sua apta ascendere ad cælum vsq. si eousq. adminiculum acquireret; sed non sine capreolis: ideò Christianus, qui natura sua est aptus ob merita passionis in flore depictæ, vsq. ad cælum ascendere, adminiculis eget, quibus incumbat, & adhæreat charitatis, quæ amplectitur, &c. planta etiam recisa ad radices, regerminat, vt noscamus, qui passionis misteria in corde retinet, nullam mundi iniuriam obesse illi posse. Dulcem, & odoratum postea affert fructum, passio enim D. N. delectabilissimum, & vtilissimum affert nobis fructum. Sed satis. Ego, vt verum fatear, tantam misticitatem, nisi per vim, in hac planta non aspicio. vnde cum dicant aliqui omnia misteria passionis D.N. Iesu Christi in hoc flore apparere, & ideò vocari *Fior della Passione*. mihi non satisfacit. Nam in hac tota planta Crux non apparet, quod primum, & principalissimum passionis Saluatoris est signum, clauiformes styli quinque spectantur, lanceam non video, alia, quæ artuli per vim contorsi, & idem in infinitis plantis facere possem, & ita per consequens infinitæ essent plantæ passionis. Sed ad plantam ipsam redeamus.

Falsa relata a Bosio.

Retulit Bosius, dilatari florem oriente sole, & eo occidente claudi, quod falsum obseruauimus, sed eo, quod diximus, modo, clauditur, & dilatatur. Nec clausus permanet campanulæ instar, vt idem scribit, sed expansus est omnino rosæ in modum, quum verò die sequenti clauditur, tunc campanulam efformat, & ita remanet per duos dies semper eodem modo, postea decidit, quãdoq. siccatur in planta, si fructum non perfecerit, vnde non omnes apud nos fructum perficiunt, sed pauci admodum.

Floris diuersi coloris.

Nec reticendum quod ab Indis accepit Bosius, vt scribit *Florum folia in Perù esse leonato colore, seu fuluo, & in noua Hispania alba rubeis maculata punctis*. At mihi retulit clarissimus, & eruditissimus vir Ioannes Berclai Scotus in Viridario Regis Angliæ vidisse se hunc florem luteum, qui forsan erit Bosij Leonatus, & Peruanus. noster autem flos cum sit albis folijs erit alterius plantæ, & ex noua Hispania dicta, at neque in nostris albis folijs rubræ illæ maculæ apparent.

De fructu Maracot.

SECTIO SECVNDA

DE fructu scribit Petrus Cieza parte prima Hist. Peruanæ cap. 28. *Granadillæ fructus grati admodum saporis, & iucundi odoris est.* Monardes ita. *fructus Granadilla appellatus ab Hispanis ob similitudinem, quam cum nostris granatis habet: nam eiusdem ferè est amplitudinis, atq. etiam coloris, quando maturus est, nisi quod corona careat: in eo resiccato, si agitetur, strepitum edit semen intus occlusum, piri semini simile, aliquanto maius, tuberculis quibusdam eleganter elaboratus, & aspectu iucundus, pulpa candida est, & saporis expers.* deindè ait. *Fructus ipse sunt Granatula tam dicta, quæ matura acidulo liquore abundant, & semine plena sunt: aperiuntur vt oua, & liquor ille cum magna voluptate sorbetur ab Indis, & ab Hispanis: nec etiam si multos sorbeas villam ventriculi grauitatem: sed potiùs aluum emollitam senties. fructus temperatus esse videtur, & aliquantulum humidus.* Bosius hęc protulit. *Maturus fructus* (vt aiunt) *luteo est colore maculis viridibus interfectus, qui plenus suauissimo est liquore, quasi moschi, & ambræ, & gustui gratissimo.* & hæc quidem apud scriptores reperi. Verum dicam ego fructus immaturus viridis est, deinde matureſcēs citrineſcit, figura potiùs malo, seù arancio, sed siccus solatro pomifero, quàm granato assimilari mihi videtur: immò paruũ limonem omninò representat. cortex etiam nõ crassus, vt Granato, sed membranaceus solatro, dicto pomifero & capsico, quodammodo æmulus: sed sub membranaceo cortice inest medulla quædam spongiosa candida, medium fructus est vacuum. semen lateribus fructus interna parte hęret, triplici per longum serie, nullis intus septis, ideò maturum semen in fructu sicco separatum ab eo vbi adhærebat loco, & in vacuitatem decidens, sonitum intus reddit, concusso fructu. segmenta autem in hoc fructu melonis instar, & pomiferi solatri, spectantur, tam extra, quam intus. Viridis (vt dixi) fructus paruulum limonem (nobis *limoncello* dictum) omninò emulatur aliquanto est oblongius, seù non perfectè rotundus, vt potiùs aliquantulùm efformet triangularem formam, colore viridis, & obscurus totus est nullis maculis, nec segmentis apparentibus.

Semina piri seminibus similia sunt, colore citrino.

Descriptio.

Figura Vera fructus.

Fructus forma.

Semen.

FRVCTVS MARACOT.



Vires huius plantæ nobis adhuc ignotæ sunt. sed si aliquid ex relatis coniectari licet, aqua in fructibus reperta, quæ acidulo, gratoq. est sapore, non multum calida videtur iudicanda ob huiusmodi saporem à Galeno inter frigida numeratum. sed quia ventriculum non grauare, scripsit Monardes, etiam si in magna copia sumatur, dicemus, tenuis, subtilisq. esse substantiæ. quia denique aluum emollit, detergendo id præstare crederem. at folia hypnotica facultate prædita esse censeo, foliorum enim odor, solatrum sapit. & si recordamur obseruationis supra positę, nimirũ Muscas in folijs residentes exanimari, aliquid delereri, vel forte soporifert cõtinere fatebimur. sed nil certi affirmare audeo. sed placet nunc memorari nobilissimum meum *Nepente* sine opio, quod omnia somnifera præcellit. *iucunditate* sumendi, pillula enim vna x. granorum pondere sufficit. *cita*, & infallibili actione, nam præstitisse scimus, quod alia opiata non valuerunt. *securitate* denique, quia nec grauedinem capitis relinquit, nec molestum somnum parit. sed de hoc aliàs.

Vires Maracot.

Nepente aldinum.

LAVRVS INDICA.



DE LAVRO INDICA.

CAPVT QVARTVM.

NATA nobis est planta anno 1620. ex Indicis quibusdam seminibus, quæ racematim breui pediculo 5. vel 7. simul cohærebant, baccarum Lauri vulgaris formam habebant, verum non rotunda erant, Sed oblõgiuscula, & parum acuminata paruæ oliuæ figura, ab extra nigra, & rugosa, vt Lauri baccæ, statim autem Lauri speciem esse indicaui. Enata planta breui in magnam altitudinem adoleuit, folia autem odore, & figura Laurum nostratem non parum immitabantur, quod primam opinionem meam auxit, vnde Laurum Indicam appellare nunc libet. Itaq. folia insunt quodammodo inter Lauri vulgaris, & Regij dicti media, vel potius cedri foliis similiora, non enim ita dura, & lucida sicut Lauro. colore sunt subuiridi, hyeme (quæ sunt vetustiora, & casura) citrinescunt, ac rubent; longitudine aliqua excedunt palmum, alia semipalmum tantùm æquant, latitudine verò nonnulla sex vncias excedunt, mediocre folium appingi curauimus. Mansa folia amariuscula primò sunt, postea cum dulcedine pauca, mucilaginosa, & odorem nostratis Lauri referunt. foliorum autem pediculus, qui crassior est, atq. etiam ramorum lignum subdulcia sunt. sed mirùm quanta mucilago in ore sentiatur viscida, & lenta his mansis, id nulla alia in re vnquã obseruaui, quamuis vltra mille plantas degustauerim. Sed neque talis apparet vnquam mansis communibus mucilaginosis seminibus, vt cytoniorum, psillij, &c. nec radicibus altææ, &c. quod vt mirabile mihi apparuit, sic notatu, & aliena consideratione dignum censui: ex hoc enim forte aliqua vis recondita ràm admirabilis plantæ inuestigari posset. Et quidé Petro Castel. Medico eruditiss. in animum cecidit, syr. ex decocto foliorum loco syr. de altea, asperitati gutturis, & vocis forsasse prodesse posse, hucusq. apud nos florem non produxit.

Odor foliorum.

Descriptio foliorum.

Folia mucilaginosa.

Coniectura P. Castelli.

Dubitauimus aliquando cum Viris Botanicis Eruditissimis, an esset Cinnamomi, seu Cassiæ, seu Cannellæ planta, nec læui coniectura, nam ex Garzia ab orto Cannellæ arbor est *foliis Lauri quidem colore, sed forma ad Citri folia accedente*. Franciscus de Tamara scribit, *in freto maris*

An sit planta Cannellæ.

Ery-

Auctores asserentes cãnellam arbore esse lauro similem.

Erythræi Cinnamomi arbores, & Lauros maris æstu interaum operta inueniri. Lud. de Barthena in nauigatione sua scribit. *Cannellæ arborem laurum proximè referre, præsertim foliis, stem baccas lauri modo ferre, sed minores, & candidiores.* Odoardus Barbossa testatur *Arborem Cannellæ esse lauro similem.* idem affirmat Theuetus. præterea Petrus Cieza part. 1. Chronici Peruani cap. 40. Franc. Gomara in Historia generali cap. 143. Augustinus Carate lib. 4. Hist. Peruanæ cap. 2. Cannellæ arborem dicunt esse folio laurino. Christ. Acosta *Folium laurino simile, letius tamen colore dilutiore, & minus fiecum.* Præterea Nicolaus Monardes in nouo Orbe nasci Cannellam retulit, & folia habere laurinis similia dixit. nostra autem arbor folia lauro, ac cedro similia habet. Secundo ex Garzia *fructus Cannellę est niger, rotundus, auellanæ ferè magnitudine, aut exiguis Oliuis similis.* Gomara verò, Carate, & P. Cieza: dicunt fructu esse racematim coherente. Acosta: fructum maturum, nigrum, & splendentem dixit. Tertiò, sapor mucilaginosus, qui est in nostra Planta videtur etiam adesse in Cannella quadam nostri ęstimum legitimam putant, & in mandendo lentor quidam sentitur. sed alterius generis plantam esse conuincit semen ipsum à me ipso satum; non multùm tamen à cannella dissimilem esse plantam censemus. nã Lauri speciem aliqui faciunt, vt Cæsalpinus, & Cardanus lib. 8. de subt. pag. 305. *Cinnamomum* (ait) *Lauri arbori haud absimile est, folia foliis, truncus trunco similis, nisi quod humilis est; & latè vt salix diffunditur. sed & cinnamomi bacca Lauri baccis: veruntamen illæ his minores sunt, & candicantes. Vnde licet cõnectari Arborem vnam esse: sed regionibus solum distingui.* Huic tamen pluribus obstat Scalig. exerc. 144. qui legi poterit. de Cassię odoratę foliis, simile quid videtur scripsisse Dioscorides. nam ait: *folijs piperis.* folia autem Piperis, ex Garzia sunt mali. Assyrij effigie, & icon apud Clusium spectari potest. immo præstantior Cassia apud eundem Dioscorid. vocatur Daphnitis. à Lauro, qui Græcè δάφνη à Daphnide Virgine in Laurum arborem conuersa.

Fructus cannellæ.

Cannellæ quædam species mucilaginosa.

Cannella Laurus est indica.

Folia Cassiæ qualia Dios.

Aliquando suspicatus sum corticem illum, atq. etiam arborem de qua loquitur Clusius Exot. lib. 4. cap. 1. conuenire cum nostra Lauro. nam *foliorum* (inquit) *odor Laurinorum foliorum odorem emulatur, sed illis sunt latiora, & magis viridia.* Deindè suspicari etiam possumus, an Cortex, de quo Clusius lib. 4. cit. cap. 2. dubitat an sit Cassia Veterum, fuerit ex nostra Arbore. ait enim *Aliquo temporis spatio ore retentus hic cortex, præter acrimoniam lentorem quendam habere deprehendebatur.* id autem suspicari me inducit maximus in mandenda nostra arbore lentor. deindè subdit Clusius de Cannella Iauaica. *Eius odor exiguus, imò penè nullus, sapor, qui in viliore cannella, aut in cortice modo descripto, in quo tamen mandendo observaretur quidam lentor, & veluti gummositas, quæ vel summis tantùm digitis*

Cortex à Clusio allatus.

Alter cortex eiusdem.

Cannella Iauaica.

admo-

admotis inhæreret, & quodammodo glutinis instar distendi posset. huiusmodi lentorem ego obseruaui in siccis etiam folijs nostris, quamuis magis in viridioribus. sed nihil certò affirmare audeo.

Sed post quam in Casiæ, Cinnamomi, & Cannellæ mentionem incidimus, de his opinionem meam non silebo. Quamuis enim plurimos legerim affirmantes Cannellam vulgò dictam, esse antiquorum Cinnamomum, inter quos Garcias ab Horto. ijs tamen multiplici de causa subscribere nequeo. Vnde dico nos destitui verò cinnamomo, & cannellam vulgarem non esse nisi Antiquorum Græcorum Casiam ligneam: cum autem plurium fuerit specierum Casia, ita etiam nunc diuersarum specierum cannella reperitur.

Nos carere vero cinnamomo.

Prima ratio est, quia Casia antiquorum Cortex erat, Cinnamomum verò lignosus surculus, difficiliùs à cortice separabilis. At cannella vulgaris cum sit solus Cortex, sola Casia erit. id probabo clarissimè ex dictis antiquorum, cinnamomi siquidem attributa, in nulla cannellæ specie reperiuntur.

Prima ratio à cortice.

Secundò Dioscor. c. de Corallo. *Corallum laudatur ramosissimum, cinnamomi figura, fructicis forma.* si vera sunt Dioscoridis verba, debent conuerti, & cinnamomum debet esse figura coralli. sed vbi, rogo, est in nostra cannella forma, & figura coralli, idest ramositas? in nulla cannella reperitur, ergò nulla cannella habet figuram cinnamomi, igitur non est Cinnamomum.

2. ratio à figura coralli.

Tertio Gal. 1. de antid. 14. *Est Carpesium herba Phu appellato genere similis.* deindè. *Tenuia autem quædam Carpesij sarmenta cinnamomi virgultis similia sunt.* Si igitur quæ æqualia sunt vni tertio, etiam æqualia inter se. Cinnamomum, Carpesium, & Phu similia erunt. at Phu ex Dioscoride. *Ex obliquo villosa in nigri veratri, aut iunci modum.* & ex Oribasio. *habet adnascentes radiculas exiguas, vt iuncus odoratus, aut veratrum nigrum inter se complicatas.* nulla video in vulgari cannella sarmenta, nulla virgulta, non iunci formam, non radices complicatas. ergò in nostra cannella nulla adest carpesij similitudo, proindè neque Phu similitudo; si verò horum similitudo non adest, neque aderit veri cinnamomi similitudo. ob id negandum vulgarem cannellam esse antiquorum cinnamomum.

3. ratio à similitudine Carpesij, & Phu.

Quartò Gal. 1. de Antid. 13. *Supersunt adhuc ibi multa vasa lignea, quæ varias cinnamomi species continent, quarum nulla tamen veluti truncus, in ramos plures diuisus, multum attollitur: sed hellebori figuram per se fert, immo verò Damasonij, quod è Creta ad nos defertur.* Hic docet Galenus in illis vasis cinnamomi, tunc temporis nullam contineri integram cinnamomi plantam, nec etiam valdè magnam, vt quæ velut truncus in ramos

4. ratio à ramis.

plures

plures diuisus attollatur, seu coralli figura: id accidere voluit ob Imperatorum post Antoninum incuriam, qui deficiente optimo, & primi generis cinnamomo, nouum, & optimum habere neglexerunt, quod igitur reliquum cinnamomi remanserat, breuius erat, & tantùm Hellebori, vel Damasonij figura. At qualis forma Damasonij? ex Dios. *Est radicibus tenuibus, vt veratri nigri*. in nostra autem cannella non solùm nunquam spectauimus notas optimi cinnamomi, s. truncum in ramos plures diuisum: sed neque notas deterioris. I. formam rad. hellebori. non solùm paruitate, & tenuitate, sed neque etiam ramusculorum plurium simul ortu, & coniunctione. ergò nostra cannella caret notis, & figura, tàm optimi, quàm deterioris cinnamomi.

Ab Hellebori, vel Damasonij figura.

Quinto Galenus subdit de illis cinnamomi reliquijs. *Quæuis autem cinnamomi species ab vna radice, ceù frutex quidam paruus consurgit, emittitq. hæc sex, illa septem virgulta, vel paulò plura, paucioraue, non æquali tamen omnia longitudine sunt, verùm, quod maximum est, pedis Romani dimidium nõ excedit.* Sed quis vnquam ex nostris tale cinnamomum vidit? quod tamen non erat optimum eo tempore putatum. nostra quidem cannella reperitur vltra duos pedes longa, sed cortex est vacuus, & non virgultum, & semper vnitas sola, nunquam associatio plurium spectatur ab vno communi exortu.

3. ratio à pluribus virgultis.

Sexto, Cinnamomum ramusculus est non simplex cortex. Galenus arborem esse primo dixit, quam non equidem fuisse valdè magnam existimo, etiamsi arca magna esset in qua integra arbos Romam delata fuit. Arca enim cubitos quatuor, & medium longa erat. deinde ait Galenus. *Ex hoc cum accepissem ramusculos aliquot apud me deposui*. Ex quo patet cinnamomum fuisse ramusculum, non solùm corticem. qualis nostra cannella, quamuis pro optima habita.

6. ratio, quin ramusculus, non cortex.

Septimo, cinnamomi ramositatis testis est Dios. qui scribit. cinnamomum Mosyliticum *præferri tenuibus ramulis, ac frequentibus nodis cintum*. deindè vt optimum noscereturr, sic monet. *vellito ab radice surculum*. & tertium genus *fructicosum* dixit. Quartum autem genus *magnam habens radicem*. Quintum verò *densa radice firmatum*. cui subscribit Galen. de Ther. ad Pison. 12. *non magnam radicem habens*. deindè de Mosilitico. *virgas paruas, & subtiles, ramos densos*. deniquè autem ait. *Quæuis autem cinnamomi species ab vna radice, ceù frutex quidam paruus consurgit, emittitq. hæc sex, illa septem virgulta vel paulò plura, paucioraue, &c.* nec renuit Plin. lib. 12. c. 19. *Ipse frutex duorum cubitorum altitudine ampliſſimus, palmiq. minimus, quatuor digitorum crassitudinis, statim à terra sex digitis, surculosus, arido similis*. deindè ait. *Præcipua bonitas virgultorum tenuissimis partibus, ad longitudinem palmi. secunda proximis breuiore mensura, atq. ita*

7. ratio, quia ramosum & cum radicib.

ordine.

ordine. vilissimum, quod radicibus proximum, quoniam ibi minimum corticis in quo summa gratiæ. Qua de causa præferuntur cacumina, vbi plurimus cortex. ita patet ramosum, & tenue fuisse antiquum cinnamomum cuius nullam notam habet officinarum cannella.

Octauo, si de colore loqui voluerimus, habemus Galenum loco cit. sic docentem. *colorem denique talem habere, qualem si quis lacti nigrum colorem admisceat, atque cærulei, quem vocant, aliquantulum addat.* profecto huiusmodi color in nulla cannellæ specie conspicitur. sicut nec color à Dioscoride traditus, scilicet. *Nigrum ex vinoso in cinereum vergens.* deficit igitur cum reliquis etiam conditionibus cannellę ipsi color antiquo cinnamomo tributus. Iurè igitur dicimus, nos carere vero antiquorum cinnamomo. nam in cannella vbi est cinnamomi radix? in terra certè relicta est. Vbi similitudo corallij ramosi? vbi similitudo radicum Carpesij, vel Phu, vel Damasonij, vel Hellebori? vbi sunt sex, vel septem virgulta ab vna radice? vbi denique color veri cinnamomi? 2. ratio à colore.

Nono, si consideremus Dioscor. totum cinnamomi caput. sub nulla eius specie tegi posse cannellam cernemus. Etenim Mosiliticum cinnamomum esse nequit, quia colorem non habet cannella, quem scripsit Dioscor. non tenues ramos, non frequentes nodos, & à quo velli ab radice surculus nequit. insuper desideratur odor rutæ. nec non sapor quadantenus salsus. sic neque species est aliquantum à Mosilitico distans. neque item 3. non enim nigrum; neque fructicosum, seu ramosum. neque 4. fungosum candicans, aspectu tuberosum, magnam habens radicem. denique neque 5. densa radice firmatum. ecce cannellam non esse vllam cinnamomi speciem. Neque etiam dicere possumus esse Xylocinnamomum, seu lignosum cinnamomum. nam hoc est *sarmenta longa* (seù vt Matt. legit virgulta breuia) *robustaq. ferens*. concludamus ergo cannellam officinarum cuiuscunq. sit speciei, non posse esse, nec dici antiquorum cinnamomum. 3. ratio.

Addam apud me esse baculum ex veræ cannellæ arbore, quem salicis esse diceres, (vt non ineptè Theoph. cassiam Amerinę salici comparauit) longitudine quinque palmorum, crassitudine pollicis, intùs ligno leuissimo, & quasi spongioso, & albo, inodoro, & insipido. extra nodi pauci, parui, & inter se distantes spectantur, cortex est tenuissimus, & vnicus, intùs leuis, extrà rugosus, quasi salicis modo, color rufus, & similis salici; non colore cinereo vti illud Matt. scabrosus, cum aliquibus maculis paruis, nigris: odor nullus sentitur; sed cannellæ esse lignum clarè ostendit ipse cortex, qui quamuis tenuissimus, & nullam cannellæ faciem præseferat, tamen mansus ipsissimam cannellam esse manifestat. Sed de veri cinnamomi defectu mecum sentiunt aliquot viri Apud auctorem baculus ligni cannellæ.

H er udi-

Auctores nō hiscum sentientes.

Auctores cōtrarij sentiēt ad nos deferri cinnamomum.

Soluitur eorum responsio.

Respōdetur Theophr.

Opinio nostra.

eruditissimi, vt Matt. com. in Dioſc. Monachi in Meſ. Io. Monard. lib. 6. epiſt. 3. de Theriaca. & lib. 8. epiſt. 1. B. Marantha lib. 1. Theriacæ Theuetus, & alij.

Contra tamen non paucos ſenſiſſe lego, qui cinnamomum ad nos ferri cum caſſia, & cannella mixtum ſcribunt, vt Fuch. lib. de comp. med. Amatus Luſitanus in Dioſc. And. Cæſalpinus lib. de Plantis. Lacuna lib. 1. c. 13. Garzias ab Orto lib. 1. cap. 15. C. Cluſius in com. N. Monardes cap. 25. Coſteus in Meſ. com. de elect. cinnamomi. Scaliger de ſub. exerc. 144. Franc. Alexandri radio 1. Apollinis. Nicol. Stelliola. de Theriaca. Euangeliſta Quadram. de Theriaca c. 5. & 12. & alij. Sed allatas à nobis rationes vellem ſoluiſſent. nec ſatis eſt, quod reſpondet Coſteus. nihil referre, quod nudus ſit cortex. quia Indica commentaria cinnamomum eſſe aſſerant. non ſufficit, dico, horum auctoritas, ſine ratione. ſed addit. non poſſe negari cinnamomum eſſe lignoſum virgultum, planta enim non eſt, nec cortex ſine ligno. tamen cortex cinnamomi olim expetebatur. teſte Theoph. 9. de Hiſto. Plant. ſcribente cap. 5. non in ligno, ſed in cortice gratiam eſſe, propterea q. quod radici proximum eſt, quia minimum corticis plurimum autem ligni habet, eſſe deterrimum: ſumma verò cacumina plurimum corticis, & ligni parum habentia eſſe laudata. Reſpondeo nō negandum maiorem, vel potius totam odoris gratiam in cortice reſidere. tamen ex quo colligat Coſteus adhiberi ſolum cinnamomi corticem nō video. nam ſi ſolus cortex à ligno ſeparatus in vſu fuiſſet, ad quid electio illa cacuminum? nam delibratus cortex quamuis infrà tenuior, ſuprà craſſior ſpectaretur. tamen totus eſſet cortex. & non efficeret illam differentiam à Theo. notatam. ego verò cenſeo totum ramuſculum cinnamomi in vſu fuiſſe cum cortice, & ligno, ſed quia cacumina ob craſſiorem corticem, ac teneriorem, & lignum nondum induratum odoratiora, & ſapore acutiora erant, ideò magis expetebantur cacumina. propè radicem verò quia lignum creuerat, & cortex attenuatus erat, deterior pars ea habebatur; ſic in nouellis ſurculis cedri, vel lauri 4. digitos longis, cacumina plurimum corticis habere ſpectamus, tenera, odorata tota, ac tota aromatica. deindè verò cum creuerint, & medulla interna in lignū obduruerit, ſoli cortici tenuiori effecto, remanet odor, ac ſapor. ſed in his cacuminibus ſciendum etiam difficillimè corticem à ligno poſſe ſeparari. vt ego tentaui in noſtratis vulgaris lauri ſurculis nouellis. ſed nec ab vllo Antiquo ſcriptore colligere potui, cinnamomum decorticari, nec à Dioſc. nec Galeno, Theoph. immo Plinius mihi fauere videtur qui lib. 12. cap. 20. *Caſſia naſcitur craſſiore ſarmento, tenui cute, verius quam cortice: quem contra atque in cinnamomo leuari*

& exina-

& exinaniri pretium est. deindè agit de modo corticem auferendi: itaque in cortice leuando contrà atque cinnamomo agendum est, non similiter. ergò non auferendus cortex à cinnamomo. Sed hæc satis. hoc addam in meo baculo è cannella, seù cassia. corticem esse valde tenuem, & vnicum, & manifestè apparet non fuisse ablatum alterum corticem vndè nescio quid dicant ij, qui duplicem inesse cannellæ corticem, dicunt. At in meo baculo cortex tenuissimus est, & non crassus, vt cannella qua vtimur, sed adeo tenuis est, vt à ligno difficillimè separari queat, at sapor cannellæ acutissimus, cannellæ baculum esse manifestat quare imaginor corticem, qui adfertur, non esse ramorum, & baculorum, sed caudicis veteris. veluti è subere arbore cortex aufertur à crasso stipite non à ramis.

FOLIVM, ET BACVLVM CANNELLAE.



Paulò ante Dicam me habere cannellæ baculos aliquot, cortice tenuissimo præditos, sapore suauissimo, aromaticoq. vt optima cannella. iconem curiosis ostendere possum tantū. Sed ad me accedentibus, vel ad præclarissimum, eruditissimumq. Virum P. Castell. cui dono dedimus huiusce modi baculos aliquot, ad Illustriss. & Reuerendiss. D. meum Principem, & Card. amplisſ. Odoard. Farnesium, ab India, inter alia rarissima, transmissos. Sed folium etiam cānellæ pingi curauimus, quod similitudinem magnam habet cum folio indo, seu Tamalapatra Clusij, vt vtriusq. picturas conferenti patebit, vnde aliqui decepti sunt opinati idem esse, ideò Garzias lib. 1. cap. 19. *Scribit Franciscanus quidam in Aethyopia gigni, sibiq. datum esse, cum inscriptione foliorum cannellæ. Sed valde hallucinatur. Non in Aethyopia nulla est cannellæ arbor, neq. folium similiter fieri autem potest, vt ad eum missa sint cannellæ folia cum ipsa cannella ea enim non multùm à folio differunt Indo, nisi quod cannellæ folium angustius, & minùs acutum est, tribusq. illis costis sine neruis caret quos folium Indum habere diximus.* Ego assentior folium cannellæ, & Indum dictum esse diuersa. nam vulgare folium indum, vt ego degustaui, & Clusius etiam refert, lauri folium gustu refert, at cannellæ folium sapore suo cannellam ipsam representat, ob quem refelli nequit. Sed assentiri nequeo Garziæ dicenti, folium cannellæ, tres illos neruulos non habere, nam meum folium illos ostendit. & Christ. Acosta Aphricanus scribit cannellæ *folia tribus neruis insignitum*, &c. Sed de cannella satis, vnum admoneo folium nostri lauri non habere illos tres neruulos: & folio cannellæ mansum, vel etiam folium Indum, non habere visciditatem illam.

DE HOLOLIVCHI.



DE HOLOLIVCHI

Seu Conuoluulo Peruuiano perpetuo.

CAPVT QVINTVM.

EXIT hæc planta folijs corniculatis, vti primùm emergit è semine etiam Conuoluulus nostras, seù Campanula azurrea, tàm diurna, quam nocturna, folia deinde cętera oriuntur dicto Azurreo conuoluulo forma similia: seù potiùs similiora Apocino latifolio, & cordis quodammodo figura, non ita candicantia, vt Apocino, verùm duriora, estque verè folium colore ex atrouiridi, leni superficie, & splendenti, ambitu leui, & simplici, in cacumine acutior, tenui carne, sed solida. nunquam folia exeunt bina, & paria, sed impari exortu, nec eadem distantia: præterea cum primò oriuntur, & per aliquod tempus, medium folium apparet: nam folij binæ alæ inter se coalescunt, & conniuent, nec aperiuntur, nisi iam grandi facta fronde. Vnicaulis est ab radice, deinde fructicosa, ac ramosa admodum euadit, vicinis fruticibus sese facillimè contorquens. Caulis valdè lignosus est, intus vacuus, extra cortice cinereo. Planta frigus valdè timet, nàm quolibet paruo vento flante, statim teneræ summitates læduntur, & emoriuntur. Perpetuò viret natura sua; nam quamuis primo anno apud nos Hyeme, ob frigora ingentia, aliquot plantæ folia omnia dimiserint; vna tamen planta, quę cæteris erat validior, & meliùs custodita, sua folia per totam hyemem retinuit, & vsquequo adueniente vere alia noua folia orta fuerint, & sic constat natura sua perpetuò virere. tardè florem, & semen profert apud nos, nam anno 1619. habebam octo plantas, quæ primam hyemem omnes transegerunt, & cum nec primo, nec secundo anno florem produxissent, hyeme secunda omnes periere plantę. cum frondem, aut ramusculum secabam non emittebant succum lacteum, vt Apocinum, sed aquam viridem, & tenuem. Henrico Coruino Botanico Romano, qui easdem quoque habebat plantas, & sine prole, & flore secundo anno periere.

Descriptio foliorum.

Qualis sit Caulis.

DE

BALANVS MIREPSICA.



DE GLANDE VNGVENTARIA.

CAPVT SEXTVM.

NVCIS, quam Græci βάλανον μυροβλιτὸν, seù Balanum Myrepsicam, Latini Glandem Vnguentariam dicunt. Plin. verò Myrobalanum, idest Odoratam Glandem. Arabes scriptores Ben, seu granum Almesus, Hispani Auellanam Indicam, Romani Bene, nunc plantam in Farnesiano Horto viuere demonstraturi sumus.

Nomina.

Ex Centenis Glandis vnguentariæ vsualis, & vulgaris apud nostros Myropolas fructibus, qui satis recentes mihi videbantur Illustriss. & Reuerendiss. D. D. meo in maxima copia allatis, quos experiundi gratia terræ commiseram, vnica tantùm enata est planta anno 1618. quæ in hunc vsq. perdurat annum. Cuius fructus quamuis nostris Myropolis, & vnguentarijs, ac Plebi sint noti, & vulgares, planta tamen ignota est, huc vsq. à nemine ex nostris Botanicis in Italia visa, neque exculta, quod sciam, vllibi in Europa. immo facies, & figura admodum dubia, & controuersa est inter simplicium scriptores. Ob id eius ad viuum pictam Iconem, & exactam Historiam rei herbariæ studiosis non ingratam futuram spero. Quamuis enim Veronensis Pona Montem Baldum peregrinans nouellæ arboris pictam figuram è Creta à Bello transmissam viderit, & in lucem ediderit, quia tamen recens, iuuenis, ac nouella admodum planta pingitur, & diuersa ab adultiore, & quod magis est sine vllis notis: ideo nos alacriter historiam, atque Iconem nostram proponemus.

Ex 120 seminibus vnica enata plãta.

Primo anno exorta planta quatuor, vel quinque à radice surculos emisit, quos vno, tantùm relicto, Ioannes horti Custos admodum diligens abstulit. Relictus surculus octo, vel decem tantùm folia emisit ramosa, quibus inerant alia folia Heliotropij folijs similia, vt etiam apud Ponam spectantur, rotundiora, quàm Myrto, nec acuminata, sed subalbida; aduentante hyeme foliola primò deciderunt omnia, & remansere folia ramosa, quæ etiam tota simul postea cecidere, tandem remansit medius cauliculus semipalmi altitudine, qui deinde Hye-

Descriptio plantæ Myrobalani.

FOLIVM GLANDIS VNGVENTARIAE.



me perijt. Secundo anno à radice germinauit, & in palmi altitudinem caulis vnicus excreuit, hyeme tamen cecidere eodem modo primo foliola, deinde ramosa folia, postremò etiam cauliculus perijt. hoc tandem anno 1622. in humanam creuit altitudinem, & spero fore vt caulis viuat hac hyeme, robustus enim ac lignosus videtur. à radice vnicus est stolo vndiq. folijs inordinatè ortis septus. primo autem aspectu, planta visa, diceres esse Genistam: sed præcipuè Autumno, decidentibus enim foliolis, remanent folia ramosa, ob id quadam Genistæ facie, quæ quidem folia videntur esse rami ipsius Arbusculæ, & multi fuere apud nos, qui induci nequirent, vt crederent, totam illam tenuium virgarum, veluti iuncorum congeriem (sursum enim spectant) esse vnicum folium. sed totum istius plantæ folium tale est. A parte qua cauli hæret in longitudinem virgulam habet lentam flexibilem, rotundam, ac tenuissimam veluti paruum iuncum, vel genistæ ramum, sed dimidio tenuiorem, quæ cubitũ superat, & in summo magis tenuis, & acuminata fit, ab hac prodeunt alati rami, seù aliæ tenues virgæ similes, palmo longiores, valdè inter se distantes, binæ tamen semper, & ordinatæ quatuor, vel quinque pro latere, quæ pariter desinunt in capillaceam tenuitatem. hoc totum ramosum est folium. At ramusculis his plurima insunt foliola Mirti forma, sed non acuminata, nec dura, nec Heliotropio dissimilia, raris geniculis orta, sed binario semper numero, magnitudine inæqualia, atque etiam forma, quò enim magis foliola ad ramusculorum summitates accedunt, eò minora fiunt, ita vt tandem oblonga admodum, & tenuia sint Poligoni vulgaris magnitudine, & figura. At mirti folia à poligoni folijs certè valdè distant: talia tamen spectantur foliola. Tandem ista foliola ita minorantur in vltimis folijs, quæ nimirùm Decembri mense oriuntur, vt spectare tantùm sit virgosa folia sine vllis foliolis, & ita decembri mense, genistæ assimilatur planta, nam nouellæ frondes sine foliolis prodeunt, vetustiora autem folia, quibus decidere foliola ipsa ramosa tantùm aparent. Diù, multumq. disputauimus cum nostro Horti custode, & alijs Botanicis, qui ramosum folium, non folium, sed verum plantæ ramum esse volebant, quibus me primo opposui Theoph. verbis lib. 3. de Hist. Plant. cap. 3. vbi de Sambuco loquitur, quam folia habere dixit lauro emula. deindè subdit. *defluit id totum simul, & hinc vnum folium totum esse ratione putaueris.* pariter enim nos vnum folium dicemus totam illam virgosam congeriem foliolis ornatam: quamuis enim foliola primo per se decidant, ob quod videri possent, distincta, tamen deinde etiam cadit totum simul folium ramosum, quod si verè ramus esset, non decideret ex se; in nulla siquidè planta ramuli ex se cadunt, sed sola folia. secundo folia ista ramosa

Similitudo Genistæ.

Folia similia ramis.

Qualia folia

Folia mirti. Folia Heliotropio.

Folia Poligoni.

Dubitatio de folio ramoso, an ramos, vel folium.

Prima ratio

2. ratio.

omnia inter se sunt similia, & superiora sunt maiora inferioribus, at veri rami inter se differre solent, & inferiores, ac antiquiores esse solent

3. ratio. semper copiosiores, ac maiores. Tertiò ab exortu noscitur: nam hoc ramosum folium totum simul, & semel efformatum à planta oritur, primo rubens, indè virescens, deindè nihil priori formæ additur, nisi magnitudo, quæ crescit; siuè nullum aliud germen edit, vt solent alij rami: nec foliola paulatim gignuntur, sed cum totis ramusculis. ergò non

4. ratio. verus ramus, sed folium vnicum. quartò virgularum summitates in capillaceam tenuitatem desinunt, & cacumina clarè demonstrant, vltrò non posse germen produci, genuinorum ramorum more: statim enim summitates tenuissimæ læduntur, & pereunt, non ergò ramus, sed folium.

Radix. Radix crassa est, Napi quodammodo similitudine ab extra nigra, paucis radiculis.

Flores. Flores, & recentis fructus Notas aliàs dabimus si planta produxerit, nec non si vita plantæ, & nobis Omnipotès Deus prorogare dignabitur.

Hactenus nostræ viuæ plantæ Historiam enarrauimus, nunc libet Antiquorum de Glande Vnguentaria dicta recèsere, & librare. circà natale solum. scribit Dioscorides: *Nascitur in Æthiopia, Ægypto, Arabia, & Petræa secùs Iudæam.* Theoph. lib. 4. cap. 2. *sunt in Ægypto Arbores, vt Glans, & aliæ quædam, quæ peregrinari omninò nequeunt.* Plinius verò

Vbi nascatur lib. 12. cap. 21 Myrobalanum Trogloditis, & Thebaidi, & Arabiæ, quæ Iudæam ab Ægypto disterminat commune est. deindè ostendit differentias inter Arabicum, seù Syriacum, seù ex Petrea oppido, & Trogloditicum, seù Æthiopicum, & Thebaicum, seù Aegyptiacum. quæ si vera sunt, mirari subit, quomodo nunc Balani arbor in Aegypto esse desierit, nam diligentissimus plantarum Aegyptiarum obseruator P. Alpinus in Aegypto nec arbores, nec fructus apparet obseruasse, cum de Ben, seu Balano hac nihil scripserit. fortè vt deperdita Balanus. ita aliæ exortæ, vt Cassia purgatrix, Tamarindi, Boabab: nunc in Aegypto copiosæ, Dioscoridi verò, qui in Aegypto vixit, ignotæ. Sed Petrus Bellon. suarum obseruat. lib. 2. c. 61. propè Montem Synai se vidisse testatur *Rupe deinde consensa* (inquit) *Balani myrepsicæ arbores inter saxa prouenientes conspeximus Betulæ magnitudine, similibusq. ramis; caudice etiam candido, vt procul intuentes, Betulan esse existimaremus. Pharaonis incolæ, eius fructus diligenter legunt, & ex illis multum olei exprimunt. Vt autem istam arborem obseruaremus, occasionem nobis præbuit eius semen cum suis siliquis trigonis, ab incola Arabe in aceruum congestum apud Pagum.* Sed fortè Bellonius non vidit plantæ folia perfecta, sed ramosa tantùm. nam betulæ folia, nec nostra, nec antiquorum Mirobalanus habet. virgosa,

Betulæ rami & folia.

autem

autem & flexilis est Betula, corbium sportis apta, atque scopis, & fortè non dissimilis facie balano ob virgulas plurimas dum decidere foliola. Monardes autem c. 47. scribit. In insula S. Dominici quoddam genus Auellanæ reperiri, qua se Indi familiariter purgant. & esse Ben magnum vulgi. quod etiam firmat Cesalpinus de Plantis lib. 2. c. 45. Nostra autem Arbor cum sit Ben vulgare fortè erit Auellana purgatrix, & Ben Magnum ex sententia Monardes. Circa magnitudinem Theoph. 4. de Hist. Plant. cap. 2. *Glans* (inquit) *à fructu nomen accepit, illæsa, magnaq. arbor est, verùm non recta; sed contorta, materies valida, & tàm ad alia, quàm ad nauigia percommoda.* Dioscorides verò: *fructus* (ait) *est arboris Miricæ similis.* Hic Mattiol. & alij dissentire censentes Dioscorides & Theoph. dubitant, aut in Theoph. aut Dioscoridis codice mendum subesse, siquidem aut in Theoph. μυρίνης, pro μυρίνης, aut in Dioscorides, μυρίνης, pro μυρσίνης legitur. Nam in vtroque auctore facilis, lubricusq. esse potuit scriptorum lapsus, propter vocabulorum propinquitatem. Sed mihi nulla videtur oppositio. Dioscorides comparat arborem hanc Miricæ Arbori, id est eius magnitudini, & formæ, non eius folijs. nam materies valida dicitur, & contorta, vt Tamarici, sic Ericam Miricæ similem dixit, intelligens, quod sit arbor fructicosa eodem modo: sæpè enim Dioscorides arboream formam vni comparat, alteri verò folia *Philurrea* (inquit) *arbos est ligustri magnitudine, folijs oleæ, &c.* & Sicomorus, *arbor est magna fico similis, folijs mori &c.* sed quæso cùm scribit *Arbutus arbor est cotoneæ malo non dissimilis.* vbi est similitudo, in fructu? in folijs? nequaquam. insola arboris figura, & magnitudine. sic igitur Glandis vnguentariæ Arbor Tamarisco magnitudine, & figura, non folijs assimilabitur. ita Bellonius magnitudinem, & ramos Betulæ tribuit non folia.

De folijs alia quæstio est, nam dissidere videntur Auctores Plinius lib. 12. c. 21. *Indicatur, & glandem esse arboris Heliotropio, quam dicemus inter herbas, simili folio.* Theoph. verò. *folium ei simile, atque myrto, oblongius tamen.* Ego qui modo in manu mea veram, viuamq. habeo plantam, quam nec Theoph. nec Plinius viderunt, non miror diuersis assimilari plantis ab auctoribus, & quandoq. inepte: in hac tamen planta ab antiquis dicta similitudo spectari, non in toto folio, sed in foliolis debet. Heliotropio quidem Dioscoridis folium fere rotundum est, mirto verò oblongius. at ex Theoph. Balani folium etiam oblongius mirto, vndè dissimilius à rotundo Heliotropij, nos denique diximus folium adesse poligoni, quæ igitur deuersitas, & dissentio est ista? Respondeo nullum adesse absurdum: ramosarum enim frondium priora, ac rotundiora sunt Heliotropij emula, posteriora paulatim minorantur, & oblongiora mirto fiunt, vltima denique ipsissima poligoni folia videntur.

Magnitudo.

Dubium, Mattioli.

Declaratur Dioscorid.

De folijs Vnguentarię glandis quæstio.

Conciliantur Theoph. & Plin.

Responsio.

dentur. nulla igitur dissensio inter Antiquos.

Ouied. de Ben errat.

Sed inter recentiores posset adesse aliqua difficultas: nam Ouiedus in Hist. ind. lib. x. c. 4. Agens de Indorum Auellana purgatrice. scribit non excrescere altitudinem duorum hominum, & foliis adesse Canabis. ego quidem crederem hunc æquiuocasse, & quamuis Auellanam purgatricem suam esse Ben dixerit apud quosdam Medicos. esse forte Ricinum, non Ben verum. & de huius vsu plura refert legenda. Doctiss. Cesalpinus Balanum Plinij folio Heliotropij censuit fortè esse Castaneas Equinas dictas ob folium Pentaphilli maiorem, Ricini magnitudine. sed per Heliotropium Cesalpinus intellexit Ricinum, Plinius verò herbam Heliotropium voluit:

Cesalpinus de Ricino.

Lilac Matth.

Lilac Mattioli non esse Glandis vnguentariæ plantam satis cuique notum cum Romę sit frequentissima planta ob flores gratos, dicitur vulgo Siringa cerulea. Figura Arboris, Ben, quam exhibet A. Marinus in Mesuem, quam dicit recepisse à P. Antonio Michelio, sine descriptione est, vnde nil dici potest, videtur ramèn aliquo modo cum nostra conuenire, sed à pictore malè fuisse depicta.

Horum fructum vsus in Medicina nullus apud nos est. quamuis antiqui purgare per vtramq. partem tradiderint, & Indis in vsu, sit vt refert Monardes, sed affirmare equidem non ausim. an Ricenum voluerit, nimis enim vehementia sunt.


Oleum de Ben.

Oleum autem expressum, tùm eo quod vetustate rancorem non sentiat communiter vnguentarijs est in vsu. tum etiam quia sine odore, facile alienos suscipit. odorem autem oleo tribuunt, nostri Miropolæ, vt Mesues docet de rosaceo conficiendo.

Diligentior expositio.

Modum autem hunc odorem communicandi, ac transferendi in oleum de Ben viris nobilibus, & odoramentis deditis gratum futurum censeo: ob id diligenter edocebo nostram encheriam, parandiq. formulam, accipito vas terreum intus vitreatum, & mundissimum (vel argenteum, vt est apud Illustriss. D. meum) altitudine cubitali, in imo strictiùs in summo paulatim se amplians, in quo stratificandi sunt flores, & Gossipium rarissimè, tenuissimèq. carptum, ac oleo Balanino imbutum, mediante crate (nè flores, & Gossipium comprimantur nimis) ex setis equinis (nè florum humiditate lædantur mucoremq. acquirant) vt distinctè autem loquamur sciendum requiri hæc.

Primò. adsit vas ✠ altitudine vnius cubiti, diametri superioris latitudine, ad palmum vnum, in fundo strictiùs, in summo latius (& Trul-



læ, vt dicunt, figura) sit ansatum cum suo operculo, sit terreum alba vitreatura obtectum, nitidissimum, & mundissimum.

Secundò. adsint flores illius generis cuius odorem quæris, qui ponantur in vasis fundo duorum digitorum crassitudine, & interposito vnius digiti spatio, vt aer liber sit.

Tertiò. adsit crates V circulo ligneo paruo confecta, & pilis equinis rarissimè dispositis, & textis, hi quidem corrumpi humore nequeunt, textura auxilio est ne imposita decidant, raritas autem non impedit transitum odorati aeris. hic circulus, seù crates immittitur in vas ✠ loco notato 1. ibi rectè permanebit, & deorsum decidere non poterit ob vasis strictiturā. hoc facto.

Quartò. in promptu sit Gossipium purissimum, albissimum, & tenuissimè carptum priùs præparatum hoc modo: aqua maris leuiter madefiat, sole exiccetur, iterum madefiat, & exiccetur, ita minùs erit corruptibile. quod Oleo Balanino nitidissimo, & optimo imbutum diligenter (ne gossipium nimis comprimatur) erit primæ crati 1. imponendum. huic verò gossipio super ponantur alij flores ad vnius digiti altitudinem: tunc intercedente pauco spatio, ne prædicta comprimantur, alia crates imponenda loco signato 11. circulo paulò latiore, vt suspensa maneat, & deorsum non decidat, huic superponatur aliud gossipium superiore modo præparatum, cui alij flores modo etiam dicto superponantur. deinde circulus tertius loco 111. notato. Gossipium, & flores modo dicto collocentur, quod faciendum 7. 8. 9. cratibus, prout opus fuerit donec ad summum vasis peruentum sit, semper adhibendo crates circulis latioribus, nè deorsum decidant, vltimo cooperiatur vas.

Cautiones in parando oleo de Ben.

Prima cautio adhibenda est. nè flores sint humidi, vel roridi, tales enim minùs odorati, & mucorem facilè contrahere, ac retribuere, apti sunt, neq. e contra multùm à sole illustrati: tales enim resolutum habent odorem.

Secunda. nè flores omnes maneãt 24. horis in vase; Iasmini enim v. gr. post 7. vel 8. horas non ampliùs odorati sentiuntur, & tunc lædere potiùs, quàm iuuare oleum possunt, ideò non maneant vltra 4. horas.

Tertia permutatio nouorum florum posset fieri per 25. vel 30. dies. sed 10. tantùm dies sufficere mihi videntur.

Quarta. circa expressionem notandum. adhiberi posse instrumentum rotundum perforatum (quo Pharmacopei vtuntur ad succos extrahendos) ex nitidissimo oricalcho, sed oleum viride solet reddere. meliùs erit ex ære rubro flamno obducto; in quo ponatur gossipiũ iam sufficienter odoratum, exprimitur torculari, & elicitur oleum odoratissimum. Potest etiam tale gossipium lineo panno fortiori inuolui, & torculo exprimi, ita quidem deperditur non parum olei in petia remanentis, sed clarum, & elegans habetur, quod colligitur. Hoc modo odorata olea præparata digna sunt, quæ magno cuilibet Principi, & Regi offerantur, & quolibet anno pro Illustriss. Card: meo ex pluribus florum generibus diuersa odoratissima olea parare soleo. sed postquam in mentionem odoramentorum incidi, multis haud ingratum reor futurum, si ostendero modum conficiendi odoratissimam *Mantecam*. Sic autem dicitur odorati vnguenti genus, nomine forsan ducto à Butiro, quod Neapolitani, & Hispani Mantecam vocant, nos non ex butiro, quod facilè rancescit, sed ex adipe animalium, purissimo, & albissimo, ac sine aquæ tactu præparato, componimus. at multis quidem modis, quibus omnibus derelictis, vnum tantùm proponam omnium facilio-rem, & à me aliquando vsitatum. Sumo duo vascula alba è terra vitreata, plana, & depressa, in quibus nostri Pharmacopolæ solent conseruas rosarum, violarum &c. ponere: fundum horum vasculorum adipe illo leniter illino, indè repleo vascula floribus odoratis, & simul claudo concularum more, recluſi flores maneant, & mutentur, vt dictum est in oleo: quum satis odoris adeps attraxerit colligitur, & in vasculum aptum seruatur, qui magnam Mantecæ copiam habere voluerit huic pluribus vasculis opus erit. Mantecæ odoratæ vsus iam notus Nobilibus, nil igitur aliud addam. Adeps eligitur solidior, vt hedinus, vitulinus, ceruinus, si nimis solidus vilus fuerit aliquantum suilli adipis misceatur. sed parari etiam potest ex odoratissimo oleo Balanino addita pauca cera albissima, vt in vnguenti formam deueniat: alterum habeo Mantecæ parandi modum, quem mihi nunc reseruo.

Mantecæ odoratæ.

Nunc

Nunc addere placet Myracopa nostra, linimenta, vnguenta, cerœlea, cerata liquida, crismata, & alimmata, quæ illitionibus aptorum medicamentorum sunt genera, magis, & minus crassorum, quorum exacta distinctio, & explicatio petenda à Pharmacopœo mastico Eruditiss. P. Castelli. Itaque parare nobis mos est illitionis genus, quod *Seuetto*, & *graßetto odorato* italicè dicere solemus, latinè verò *adipem odoratum*. aptiùs antiquo nomine *Myracopum*; cuius vsus est ad fissuras manuum, labiorum, mămillarũ, & manus molliores, lenioresq. reddendas nobilium mulierum, vice vnguinis dicti nostris *Pomata*. Ego conciliare odorem soleo floribus Iasmini, Aranciorum, Acacię nostræ, Narcissi iuncifolij, & huiusmodi alijs, artificio non valdè dissimili à mox dicto.

Pharmacopœo masticum P. Castelli.

Itaque exempli gratia, recipito adipem (seù Sebum Hœdi) album, depuratum, & mũdificatũ absq. sale, & sole, & quia diuriusculus esset solet, & nos requirimus paulò liquidiorem, ad labia, & manus: ideò dum igne liquatus est, illi impono parum olei Amigd. d. vt formam vnguenti mollis representet, quod experior imposita gutta marmori, deindè multùm leuigetur, optimeq. ducatur, donec refrigescat, & albescat: tandem cum sic fuerit paratum. Accipito duas maiores patinas, seù paropsides nobis dictas *Piatti de Maiolica*, illinantur optimè, & æqualiter toti in parte interna ad crassitiem aciei cultri, tunc includito inter has flores iasmini, vel aranciorum, vel Hiacintorum, Narcissorum, Violarum, Sambuci &c. non valdè coaceruatos, & sic maneant loco frigido per 4. vel 8. vel 16. vel 24. horas, secundùm florum naturas, vt Iasmini per horas 4. Violæ per horas 6. Aranciorum 8. Cariophillorum per horas 10. Acaciæ 24. &c. reiterentur flores 10. 15. 20. & 30. diebus posteà colligatur hic odoratus adeps, & seruetur, qui non multùm distabit à Manteca dicta. Eiusdem vsus conficimus etiam Cerœleum, italicè vocamus *Ceretta*. sumimus v. g. olei Amigd. dulcium vnciam vnam, ceræ q.s. misceo ad formam linimenti duriusculi, & non valdè liquidi. odore imbuo mox dicto artificio, aliquando verò oleum ex ben odoratum, & ceram misceo, & diù agito, vt albescat.

Modus conficiendi Myracopum.

Cerœleum.

LILIONARCISSVS RVBEVS INDICVS.



DE LILIONARCISSO RVBEO INDICO.

CAPVT SEPTIMVM.

Lilionarcissus, seù Narcissolirion aptiùs hæc planta dicetur, quàm Tulipa: flos enim verè lilium emulatur, radix, & folia narcisi sunt. missus est bulbus Narcisi Iacobei nomine, eo quod crucem ensi formem S. Iacobi Equitum representare videretur, sed enatus flos diuersus apparuit, à Iacobeo Narcisso à Clusio, & Rubino diligenter picto, quare huius iconem ostendere voluimus. Augusto nullis præcedentibus folijs è terra scapus prodit quandoq. duorum palmorum altitudine, in cuius summo aperta tenui membranacea tunica quatuor simul quadratè disposiri flores hærent crassiori pediculo, deorsum flore reflexo: flos ipse in sex dehiscit folia striata, & rubra, sed lilij albi facie. intùs stamina subalbida, & longiora sex numero cum luteis apendiculis, in quorum medio vnum est stamen cæteris oblongius, rubens, & sine appendicula. flos vltra 20. dies perdurat in planta. arefacto flore duo, vel tria emergunt folia Narcisso marino, seù hemerocallidi similia; sed latiora, viridiora, & lucidiora non multùm longa. quæ vsque in hyemem perdurant: plantæ verò floris non feraces folium vnicum emittunt Vere perdurans vsq. ad mediam hyemem insequentem. In horto Clariss. & Nobiliss. viri D. Tranquilli de Romaulis in quo rarissimi flores diligenter coluntur, produxit quinq. flores, inter illos nimirum quatuor alterum erectum in medio, visui valdè iucundum, & rubicundissimũ, quod reticere nolui.

SPINACIA FRAGIFERA.



DE SPINACIBVS FRAGIFERIS. CAPVT OCTAVVM.

SPINACIA fragifera folio, ac vsu à spinacibus vulgaribus non differunt. sed sapore minùs acido sunt, & potiùs Betaceo, quam vulgaria. sed spectabilis est flos aceruatus in oblõgam quandam rotunditatem summitati, & cauli propè foliorum exortum adhærens, & ob rubicundissimum colorem Amarantho æmulum, fragam perbellè representat: sapore est quidem herbaceo, verùm non ingrato, duplicis igitur vsus planta, folio cocto, & fructu crudo fragæ vice, commeſtis.

DE

RICINVS AMERICANVS.



DE RICINO AMERICANO.

CAPVT NONVM.

PLVRA Ricini genera reperiri nulli dubium est. Vulgare, cuius semen Ricini animalis figuram æmulatur copiosè reperitur. Vocantq. Græci Cici, & Croton, Arabes Cheruam, Mesues Granum Regium: aliqui dixere Girasole, ob id Cæsalpinus Heliotropium Dioscoridis esse censuit. alij Catapultiam maiorem, Pentadactilum, & Palmam Christi, à foliorum figura vocarunt. in India ab Hispanis Ficus infernalis dicitur. Vulgaris Ricini facies nota. Alterum Ricini genus ab Aegypto affertur multò validiùs vulgari, cuius maximam copiam Romæ vendit Dionisius Albertus Circulator, sumitur grani vnius dimidium, & valenter aluum purgat, ea tamen sumitur cautione, vt deuoretur aliqua re septum, ne Oesophagum tangat, adeò enim acre est. Vt viderim ego iuuenem melancolicum 20. annorum satis robustum, qui ob dolorem capitis, medium Ricini granum sumpserat, & masticauerat, cuius aluus bene purgata, & capitis dolor ablatus fuerat, sed ob acrimoniam seminis œsophagus, & os ventriculi ita læsa, & inflammata, vt post febrem, sitim magnam, animi deliquia, & difficultatem appetendi, & deglutiendi 9. die resolutus obierit. nec vllis remedijs à tribus Medicis sanari potuerit. Huius Aegyptij ricini semen à nobis satum plantam vulgari quodammodo similem produxit. Sed maiorem, & folijs crispioribus, & rubicundioribus, ac semen maius.

Ricinus Aegyptius.

Tertium nunc nos exhibere volumus Ricinum Americanum. hic prima folia ex substantia seminis produxit subrotunda, & similia vulgari, sed decies maiora, vt Icone demonstratur. insequuta folia videbantur hederacea, & angulosa, non diuisa, vt alijs speciebus. semen ipsum nigrum erat, & non maculosum. vnde illud esse opinamur, quod Curcas ab Indis appellari retulit Clusius com. in Monar. At Ouied. lib. 10. cap. 4. Hist. Indicæ. credo hanc plantam intellexisse nomine Auellanæ Indicæ. non enim sua descriptio Glandi vnguentarię quadrat. quamuis Ben vocet. planta hæc apud nos vixit vno tantùm anno.

Ricinus Americanus

De viribus nihil explorati habemus. sed vide N. Monar. & Ouied.

DE

CAMPANVLA EXOTICA.



Ricinus Arbor.

Ricinus Arbor fructuosa

DE CAMPANVLA EXOTICA.

CAPVT DECIMVM.

ELEGANS hæc campanula oblata nobis est campanulę Virginianæ (ſ. ex Virginijs insulis) nomine, sed nihil certi affirmare possumus, certè admodum elegans, & visui iucundus flos est colore cælesti ameniſſimo costulis interioribus albidis, iucundiorem aspectu cæruleum reddentibus colorem, ab extra albus flos est, circa fundum verò campanulæ subluteus, diurnus est, & Ephimerus vna tantùm perdurans die copioſſimè tamen, & diù floret. Succedit deindè semen aliarum campanularum more in tenui capsula, sed dura valdè, & parum acuminata. semen verò ternario semper numero. in altum non assurgit. sed in latera humi recubans se extendit. folia oliuarum quidem, sed herbacea, & mollia, maioraq. præcipuè priora, tenuiter lanuginosa. radix parua: multo tempore floret. hyeme benè custodita planta non perit.

GARYOPHILLVS SPICATVS.



DE CARYOPHILLO SPICATO

CAPVT VNDECIMVM.



VIVS planta quidem, & folia ab alijs generibus forma non distant. Sed flos nunquam foliatus spectatur, nunquam dehiscens, sed spica tantùm viridis squammosa, cum igitur per plures annos talis planta in Horto permanserit ob raritatem publicam lucem inuidere nolui.

DE SOLIS FLORE TVBEROSO,

Seù flore Farnesiano Fabij Columnæ.

CAPVT DVODECIMVM.



DEO exactè descripta est hæc planta ab Eruditiss. Fabio Columna in sua minus cognitarum stirpium parte altera. cap. 6. vt aliquid addere non liceat. Verùm ab amicis sæpè quæritur radicum vsus, quas Tubera Indica appellare soleo, ideò operæ pretium duxi, aliquid breuiter de ipsis præfari, radices igitur Tuberum formam quodammodo imitantur. nec vsus diuersus, itaq. si cruda edere libet cum sale, & pipere, licet: dulcia enim sunt. sed gratiora sunt palatui meo cocta, vel igitur sub cineribus calidis assantur, vel aqua decoquuntur; ita coctæ radices cum sale, & pipere gratiores sunt. aliquando careotarum coctarum more in acetarijs vsi sumus, addito oleo, aceto, sale, pipere. aliquando coctas radices, & in frustra sectas oleo friximus tuberum vulgarium more, vel butiro, & tãdem succum arancij, piper, & sal miscuimus, & tuberum vicẽ suppleuere: nonnunquam farina obtectas frigi curauimus pisciũ modo. aliquando more fungorum parauimus priùs coctas radices oleo frigentes addito oleo, nepeta, sale. Raparum more nonnunquam in pingui iure coqui curauimus. Parari etiam iussi placentas testuaceas, crustaceas. Deniq. quocunq. parentur modo gratæ radices semper sentiuntur. Valent impinguare, & cum reliquarum radicum more flatus excitent, venerem maximè excitare, & fouere pluries expertum est.

HELLEBORVS NIGER TRIFOLIATVS.



DE HELLEBORO NIGRO TRIFOLIATO.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.



HELLEBORI nigri Genus nouum habemus, quem trifoliatum appellare libet, ex semine nata planta prodit primis 4. vel quinque folijs, cordis figura, Hederæ quodammodo similibus, deinde folia constant ex duobus lauro, & magnitudine, & substantia, & figura non dissimilibus folijs, cætera deindè folia trifoliata spectantur ex tribus laurinis folijs constantia. sed eundem ordinem non semper seruant; nam quandoque iterùm, & vnifolium, & bifolium producit. foliorum ambitus ita est serratus, vt spinosus videatur. caulis adest rotundus, cubitalis, digiti crassitudine folijs circumcircà ornatus veluti Helleboraster. Flos est in summo caulis, & in pluribus ramulis circa folia Hellebori nigri vulgaris facie, seù rosæ in modum ex quinque folijs, & viridi diluto, seù subalbido coloratis, in medio floris quatuor adsunt sesamaceæ siliquę multis filaminibus cum suis appendiculis septæ. incipit florere à Nouembri & perdurat semper florens vsq. in Martium & Aprilem, paulatim flores enascuntur, & dehiscunt, & vicissim ita vt semper adsint, florentes, defloréscentes, siliquæ maturæ, & inchoati flores. quilibet autem flos apertus, & in suo vigore, perdurat vltra 40. dies: anno 2. floret.

Plantam habuimus ab Henrico Coruino Delphensi pharmacopeo, & Botanico insigni.

ALOES AMERICANA FLORIDA.



DE ALOE AMERICANA FLORIDA.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

ALOES Americanæ nullus hucusque (quod sciam) imaginem cum flore edidit, quod non vbique floreat, nec nisi post multum temporis, & rarò. Verùm cum multas hic Romæ floridas viderimus plantas, æquum iudicaui, hanc cum flore exhibere, vt ij, qui Regiones incolunt, in quibus hæc florens non visitur; quando viuum non possunt aspicere, florem, picto saltèm fruantur.

Itaque huiusmodi planta, quùm multis annis culta, vltimò tandem florem emittere cupit, trium mensium spatio altissimum producit caulem. Hoc autem anno principio mensis Maij cepit apparere caulis, initio verò Iunij ramos produxit, altero tandem mense flores perfecit. Caulis perfectus quandoque excedit altitudinem quindecim cubitorũ, crassus est, intùs albus, spongiosus, & leuissimus; extra colore herbaceo: ornatur circumcircà breuibus, raris, tenuibus, siccis, ac aridis folijs, colore fuliginoso. In summo ramos produxit, veluti sparsam vmbellam constituentes, in quibus flores sursum spectant forma potiùs fructuum, quam floris, seù cum fructu quasi perfecto. Est enim Digiti, seu Citini malorum punicorum, non dum aperti forma, vasculus nimirum oblongus, triangularis, ac striatus, colore viridi: à quo prodeunt sex stamina tenuia, longa, dura, & solida, retorta, & lutea, cum appendiculis concoloribus, in quorum medio emergit erectum alterum capitatumq. necnon luteum stamen, tãdem dehiscit summitas Citini modo in sex particulas, veluti folia longiuscula, pro quolibet autem ramo 200. 250. & 300. numeraui aliquando flores, qui perdurant vsque in hyemem, tandem in planta siccantur, siccati paulatim decidunt. qui non flores, sed fructus tunc dicendi. Sunt enim Dactili forma, triangulares tamen, colore obscuro, tribus intus segmentis, & capsulis, in quibus semen album, leuissimum, copiosum, compactumque, bisectum, semicirculare. & araneę harundinum forma. ita vt plures araneæ candidæ superimpositæ videantur. hoc semen an sit fœcundum affirmare non audeo. & de flore Aloe, satis. in reliquis alios legito Auctores.

DE

ALOES FLOS, ET FRVCTVS.



DE NARCISSO CALCEDONICO PROLIFERO.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

VALIDA Natura calore, & substantia in rerum generatione ludit quandoque non parum : in animalibus quidem plures particulas gignendo, nec raro superfluas, vti sextum digitum, & similia, quarum meminerunt Auctores de Monstris agentes; in mineralibus vero ac fossilibus monstra infinita reperiuntur, quorum plurima in nostro museo asseruamus. Tandem in stirpibus, monstruositates quotidie frequentiores spectamus, de quibus omnibus agere nostra non est intentio, sint exemplo, inter colores flores Aquilegiæ, & Caryophillorum, sed maxime Tulipanorum, in quibus mirificum naturæ lusum circa colores spectare licet. Nam horum vnius floris semina sata, proles producunt diuersicolores : inter formas Caryophillũ spicatum, quẽ superius exhibuimus, cuius speciem esse monstruosam censemus. Sed missis alijs monstruositatibus, flores proliferos inter monstra numerare nunc libet. Aliquas quidem plantas flores proliferos producentes ab alijs exhibitas scimus, vt Bellidem proliferam, Chaltam, Ranunculum, Anemone, & quædam alia. In præsenti ostendere est in animo Narcissi Calcedonici figuram vno tantum flore proliferam : exhibuissem etiam scabiosæ purpuronigræ odoratæ flores proliferos, tertio ab hinc anno nobis floridos : sed quia tunc pingi non curauimus, sit satis eos memorasse. Narcissi autem Calcedonici flos, cuius picturam proponimus, non variat ab alijs, nisi quia alium flosculum à latere foliorum producit, folia, & bulbus, eiusdem cum alijs sunt generis, inter quos casu inuenimus, quia tamen rarus est flos, curiosis pictum exhibere voluimus.

CARYOPHILLVS PROLIFERVS.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

IN Societatem Narcissi proliferi non abs re visum est afferre Caryophillum proliferum. quem à nullo descriptum vidimus, folia non variant à suis congeneribus, sed floris rudimentum, seu calix valde latus, & crassus est, & antequam flos dehiscat findi solet: aperto, & completo flore à medio prodeunt plures flosculi, habemus autem duplicis coloris, purpurei, & carnei.

FINIS.

NARCISSVS CALCEDONICVS PROLIFERVS.



ERRA-

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag. 6. *ver.* 28. Nigra, *lege*, fuliginea.
Pag. 7. *ver.* 29. peteat, *lege*, pateat.
Pag. 8. *ver.* 5. fucticosam, *lege*, fructicosam. *& ver.* 14. quorum, *lege*, quarum. *& ver.* 25. expandens, *leg.* expandentes.
Pag. 14. *ver.* 14. Pſendoebenum, *lege*, Pſeudoebenum.
Pag. 15. *ver.* 25. Aqulfolio, *lege*, Aquifolio. *& ver.* 32. viee, *lege*, vicè.
Pag. 16. *ver.* 6. quorum, *lege*, quæ.
Pag. 29. *ver.* 40. mutulam, *lege*, matulam.
Pag. 39. *ver.* 27. Theodoro Clutio, *leg.* Outgero Theodori Clutij filio
Pag. 46. *ver.* 18. vet, *lege*, vel. *& ver.* 35. Socitate, *lege*, Societate.
Pag. 53. *ver.* 31. vnicæ, *lege*, vnciæ.
Pag. 55. *ver.* 5. curioſos, *lege*, curioſis.
Pag. 56. *ver.* 29. Ioaanes, *lege*, Ioannes.
Pag. 69. *ver.* 1. dicam, *lege*, dixi. *& ver.* 12. Non, *lege*, Nam. *ver.* 15. ſine, *lege*, ſiue. *ver.* 23. folio, *lege*, folium.
Pag. 71. *ver.* 16. acutiot, *lege*, acutius. *& ver.* 37. *adde ſequentia*.

De vitibus Hololiuchi, (quod Ololuchiqui vocant) nil nos experti ſumus, ſed Ioſeph Acoſta è Societate Ieſu in Hiſt. Nat. Indica. lib. 5. c. 25. tradit vires habere dementandi, & tollendi facultatem rectè iudicandi, nec non magnam habere energiam mortificandi, ita vt ſolum per ſe emplaſtri modo impoſitum carnem mortificet, tamen ipſius ſemen aſſumunt Indi, vt mente capti varias viſiones videant: refert etiam nefandam quandam Mexicanorum ſacerdotum inunctionem (quam referre non pigebit) quæ hoc modo parabatur. Accipiebant plura animalia venenata vt Serpentes, Baſiliſcos, Araneas, Centipedes, Salamandras, & ſimilia; ſimul comburebant igne in templo ante altare ſuorum Idolorum poſito, donec in cinerem omnia eſſent redacta, in maſſam redigebant, & addebant puluerem ſeminis Ololuchiqui, & vermes quoſdam nigros, & piloſos, quorum pili ſunt ſolum venenoſi, addebant denique fuliginem caldariorum, ex quibus omnibus paratum linimentum in olla ponebant, locabantquè ante Idolos, cibumquè vocabant ſuorum Deorum, *cibum Diuinum* nuncupantes, inuncti hoc nefando vnguine ſtrigones fiebant, & Dæmonem videbant, & alloquebantur. Sacerdotes inuncti omnem amittebant timorem, & Diabolo imbuti crudeliores euadebant, vnde audacter in ſacrificijs homines occidebant, & noctu ſoli petebant Montes, ſpeluncas, & antra obſcura, & horrenda, pro certo habentes Leones, Tigres, & Serpentes fugituros vi

inunctionis Diabolicæ. Vsus erat huius linimenti etiam in Morbis: vnde Diuinum medicamentum vocabant. inungentes partem affectam, quo mirificè iuuari dicebant. Et hæc ex Acosta, qui multas Indicas plantas describit, & refert lib. 4. cap. 28 Franciscum Ferdinandum Regis Hispaniarum speciali mandato feciſſe librum eximium de materia plantarum, liquorum, & similium rerum Indicarum cum figuris naturalibus cuiusq. vltra mille ducentas, quem librum aiunt, constasse vltra septuaginta millia aureos: quem quidem ipsum Nardus Antonius Medicus Italus compilauit, curioseque admodum in breuem traduxit formam, ad quos libros legendos remittit lectores Ioseph Acosta dictus.

Pag. 76. *ver.* 14. *adde*, tenuibus, valdè longis, subluteis, sapore acerrimo. odore nasturtij siluestris.

Pag. 78. *ver.* 16. ramen, *lege*, tamen. *ver.* 8. fructum, *lege*, fructuum.
ver. 20. Ricenum, *lege*, Ricinum.
ver. 25. *Vbi est* Mesues docet de rosaceo cõficiendo, *adde*, tertio, vel quarto modo. nimirũ stratificatis Ben nucleis mundis, & in quatuor, vel quinque partes diuisis, cum floribus Iasmini: deinde oleum exprimunt vocantque Oleum Iasmini, nos olim ita parabamus ex Oleo iam extracto quod odore inficiebamus hoc modo; cartã bibulam Oleo balanino imbibebamus, vel lanæ floculos, vel Gossipium filatum, stratificando flores odoratos, quotidie recentes imponendo per aliquot dies, cum Oleum satis odoris attraxisse perceperamus torcular (apto instrumento excepta carta, vel lana) fortiter exprimebamus, & odoratissimum sortiebamur Oleum. Parauimus (inquam) quandoquè dicto vulgari modo: sed duplex erratum deprehendimus. Primum, quia Ben nuclei in aliquot partes diuisi imbibebantur superflua quadam humiditate à floribus desumpta. vndè nisi cautè fuisset occursum, mucorem, & fœtorem acquisiuissent, ob id eos insolare, & exiccare aliquantisper opus erat, ad consumendam illam humiditatem, sed non parũ etiam odoris peribat. tunc denuò reuertebamur ad stratificationem. Alter error erat, quia dicti nuclei imbuebantur odore in superficie tantùm, ob id Oleum extractum non erat extremè odoratum, & vix sex mensium spatio suauis odor inhærebat. Præstantiùs igitur reperi Extractum Oleum odoribus replere: at quia Oleum debet recipere odorem ad minima: ideò non simpliciter in vase ponendum, sed vt rarum, & permeabile sit, alicui rei adhærere debet, à qua fustollatur, & ab ea postea facilè separari queat: ob id altero præparandi modo, mediante nimirum carta Oleo imbuta, vel Lana, vel Gossipio. sed multis abhinc annis sequenti parare soleo modo, quod omnium

Oleum Iasmini.

Modi varij aromatizãdi Oleum de Ben.

Primus modus.

Secũdus modus.

Duplex Erratum.

Opt. Olei de Ben parandi modus.

opti-

optimum, & apud me hucusque secretum retinui. sic confeci Oleum Odoratissimum Balaninum ex floribus Iasmini Chatalonici dicti, ex floribus Aranciorum, Violarum, Liliorum conuallium, Hyacintorum, Narcissorum: nec non ex floribus Dipcadi, vulgo *Moschi græci*, qui odore suauissimi sunt. gratissimum etiam Oleum parauimus ex floribus Acaciæ nostræ, quæ Keiri odorem imitatur, sed præ cæteris Illustrisimo D. meo placuit Ol. ex flor. Narcissi Iuncifolij, vulgo *Giunchiliæ*: suauissimus enim est flos, nec dubium, quin ex alijs etiam odoratis floribus parari, & confici possit.

Pag. 81. *ver.* 13. esset, *lege* esse.

INDEX

EORVM, QVAE CONTINENTVR

IN HISTORIA

RARIORVM PLANTARVM

Horti Farnesiani.

AVCTORE TOBIA ALDINO.

ACACIA ad anum procidentem. pag. 26
Acacia ad diarrheas. 26
Acacia ad mulierbria profluuia. 26
Acacia bis floret. 5
Acacia candida facile putrescit. 9
Acacia duplex Theophrasto. 9
Acacia est natura fructicosa. 8
Acaciæ folia pro pecudum pastu. 26
Acacia Lota. 23.24
Acacia mas, & femina. 9.13
Acacia nostro ex Insula S. Dominici. 3.9.12
Acacia non in Aegypto tantũ oritur. 12
Acacia nigra incorrupta in aquis durat. 9
Acacia rufa. 21
Acacia rubra. 21
Acacia Viridis. 9
Acaciæ nostræ succus qualis. 23
Acaciæ plantæ descriptio. 3
Acaciæ planta missa M. Duc. Aetruriæ. 3
Acaciæ rami contorti. 8
Acanthi baccifera alia expositio. 15
Acanthus baccifera Virgilij. 13
Ad Acoras puerorum. 26
Aethiopum filij albescunt in Italia. 10
Aloes Americana florida. 85
Aloes Lota. 23.24
Andreæ Cesalpini opinio de Balano Plinij. 78
Aqua benedicta Aldina 30
Aqua suauissima destillata ex flor. Acaciæ. 26
Arbor Iudæ. 10
Arbor Iudæ Spinosa. 10
Ari Aegyptij flos à solo Columna pictus. 11
Arra lacrima Spina apud Andromachorid. 18.20.
Auctores negantes Gummi arabicum esse Acaciæ. 18
Auctores probati non sunt gratis accusandi. 11
Auellana Indica Hispanorũ. 73.87
Auellana purgatrix Oviedi. 78

INDEX.

Bacca vocis abusus. 15
Bacca pro Flore. 15
Baccæ Caprarum quid. 15
Balsamum vulnerarium Aldin. 47
Bartholomæus Maranta Ebeni speciem facit Acanthum Virgil. 14
Ben Arabum. 73
Ben magnum Monardes. 77
Balanus myrepsica. 73
Bosij falsa relatio. 51. 53. 56

Campanula exotica. 89
Campanula Virginiana. 89
Cannellæ arbori sunt sfolia Lauri. 62
Cannella iauaica Clusij. 62
Cannellæ baculus quid. 65
Canabis Indica quid. 36
Canepus an Spartum? 73
Cappares spinosi in Aphrica. 10
Coeleleon. 87
Cardanus defenditur contra Scaligerum. 37
Cazaui panis. 39. 41
Carpesium phu simile, & cinnamomo. 63
Cinnamomum Lauro simile. 62
Cinnamomo verò nos carere probatur. 63
Cinnamomi vsus cum ligno. 66
Cataputia maior. 87
Cinthius Clemens Pauli V. Medicus. 47
Christoph. Landus pro Acantho baccifera Virgil. proponit Piracant. 13
Κρασις, color qualis. 20
Chimicorum medicamentorum præstantia. 28
Christiana floris Maraco consideratio. 55
Cherua Arabum. 87
Cici Græcorum. 87
Conuolulus Peruuanus. 71
Cortex Clusij an Lauri Indici? 62
Coctura succi Hyiuccæ. 44
Coronæ ex floribus Acaciæ vsus. 26
Coronæ semper florentes in Aegypto. 9
Coronas quando deposuerunt Reges in Aegypto. 9
Coral arbor Clusij. 11
Corallorum copia nobis transmissa. 30
Croton. 87
Curcas Indorum. 87

Damasonium simile cinnamomo. 63. 64
Decoctum fol. Acat. ad articulos debiles. 25
Diodorus Syculus de Hyiucca. 48
Dodoneus auctor siucerior in Matthiolum. 11

Eriophori flos Dodonei falsus. 12
Ephemerũ Matthioli in Anatiensibus montibus. 11
Ebeni species an Acãth. baccifera Virgilij. 14
Erratum in textu Dioscoridis. 16
ἐπίπαγον quid. 24
Errores in odorando oleo de Ben. 100
Exculpatio Auctoris. 51

Fabula Athen. de Coronis in spinis. 8
Ficus infernalis. 87
Flos Farnesianus Columnæ. 91
Folium ramosum glandis Vnguentariæ. 75
Foliorum Hyiuccæ descriptio. 33
Flos dellas Cinca illagas. 49
Folia Hyiuccæ ex Monarde. 36

Folia Hyiuccæ Ouiedi. 37. 38
Fior della passione. 39
Fractus Maracot. 57. 58
Frittellaria maior dicta Hyiucca. 35
Folliculi Acaciæ ad coria perficienda. 26
Flores Acaciæ albi, vel citrini. 13
Fabæ Aegyptiæ icon habuit Matthiolus ab alio. 12
Fabius Colũna gratis imposuit Matthiolo falsitatem figuræ falsæ Aegyptiæ. 10
Fabius Columna iniquè accusat Matthiol. de Ephemero. 10
Fab. Columna damnatur. 11
Fab. Columnæ creditur. 11
Figura Ari Aegyptij apud Columnam suspecta. 11

Gracorum discordia de magnitudine plantæ Acaciæ. 7
Gigliomatto Ananiens. 11
Guillãdinus multipliciter deceptus. 14
Glans vnguentaria. 73
Garzias taxatur. 69
Glans vnguentaria vbi nascatur. 76
Glandis vnguentariæ folia qualia. 77
Glandis vnguentariæ descriptio. 73
Granum Almesus. 77
Granum Regium Mesues. 87
Girasole. 87
Garyophillus Spicatus. 91
Garyophillus proliferus. 98
Gummi Arabicum ex Acacia. 18. 19
Gummi Thebaicum. 19
Gummi Saracenum. 20
Gummi de Babylonia. 21
Gummi Alexandriæ. 20
Gummi Acantinum. 20
Gummi album. 21
Gummi pars nigra quid. 21
Gummi vermiculatum. 22
Gummi ferre ex vase, vt intelligatur. 22
Glaucus color, qui. 21
Gummi Acaciæ. 17
Gummi Acaciæ vires ex Dioscor. 26
Granadilla. 49

Homines pilosi in aula Cardinalis Farnesij. 10
Homines pilosi in Italia filios gignunt minus pilosos. 10
Hololiuchi. 71
Heliotropium Dioscoridis Cesalpin. 87
Helleborus niger tripholiatus. 93
Hyiuccæ Maxicanæ folia. 38
Hyiucca vbi venenata. 38
Hyppocrates de succo porri. 43
Hyiucca Bonata innocua. 43
Hyiucca in continenti non venenata. 45
Hyiucca à Regione fit venenosa. 45. 46
Harundo Aethyopica Diodori Syculi. 48

Iunctio Nephanda. 99
Ioseph Ghislerus Card. Farnesij Medicus. 48
Iacobus Bosius de Maracoto. 49
Ioannis Berclai, de colore Marac. 56
Interpretes Virgilij de Acantho baccifera. 13
Icon Acaciæ Bellonij rudis. 10
Icon Acaciæ primæ Matthioli dissimilis à vera. 10. 12
Ioan. Pona ineptus exprobator Matthiol. 10
Iuuenis necatus esu Ricini. 87

Ka-

INDEX.

Kakian Aegyptij dicunt Acaciam. 7

Lvcas Ghinus misit florem fabæ Aegyptiæ Marantæ. 1
Lauatio succorum irridetur. 23. 24
Ligni Acaciæ vsus. 25
Linimentum ad podagram. 26
Liquor Herculeus. 29
Locus, vt efficiat plantas venenatas. 46
Liber Bononiensis de flore passionis. 53. 55
Laurus Indica. 61
Laurus Indica an sit Cinnamomū. 61
Lilac Matthioli. 78
Lilionarcissus rubeus. 83

Mvrobalanus Plinij. 73
Manteca odorata. 80
Myracopa, vt parentur. 88
Maracot. 49
Maracot vbi oriatur. 49. 51
Maracot vsus. 51
Maracot vis. 59
Muscæ necatæ in folijs Maracot. 51
Moysis Virga, ex quo ligno. 25
Matthiolus defenditur. 10
Maranthæ habuit florem Ari Aegyptij à Ghino. 11
Mercator exhibens figuram Acaciæ Matthiolo defenditur. 11
Matthiolus defenditur à calumnia Alpini. 12

NAsturtij Indici icon Dodonei differt à Vulgari. 12
Non magis credendum Columnæ, quàm Matthiolo. 11
Narcissolirium Indicum. 83
Narcissus Iacobeus. 83
Narcissus Calcedonicus proliferus. 97
Nepente Aldin. 59

OLeorum odoratorum parandi modus. 100
Olei de Ben vsus. 78
Ololuchiqui. 71. 100
Outgerus Clutius. 39. 99
Olei de Ben aromatizatio. 78. 100

PAnis Hyiuccæ Mexicanæ. 38. 39
Panis Hyiuccæ icon. 40
Parri succus quando venenum. 42
Prosper Cechinus Chirurgus insignis. 47
Punctura foliorum Hyiuccæ venenata. 47
Porri succus quando vtilis. 43
Palma Christi. 87
Pomata. 81
Pentadactilum. 89
Plinius defenditur contra Guillandinum. 16
Podagricos iuuat decoct. fol. Acaciæ. 26
Petrus Castellus vtitur nostris medicamentis chimicis. 29
Petrus Castellus Auctoris amicus. 48
Petrus Castellus Hyiuccam vocat Spheracantam. 33
Petri Castelli Dodecaporion. 44
Petrus Castellus donatus baculo cannellæ. 69
Petrus Castellus de Sy. fol. Lauri indicæ. 61
Petri Castelli opinio, de Veneno Hyiuccæ. 45
Petri Castelli Pharmaconomasticū. 81

Petri Castelli Allium, vel moli arboreum vocauit Acaciam. 6
Plantæ variant cultura. 10
Pseudoebenum an Acanthus bacciferæ Virgilij. 14
Pustulis gallicis decoctũ Acaciæ. 26
Præcipitatus diuersorum colorum. 71

Quadram. malè accusat Matthiolum. 19
Quinta essentia Aldina mirabilis. 29
Quinta essentia Coralliorum. 30

Ricinum Americanum. 89
Rubus sine spinis. 10
Rubus Sancti Francisci. 10

Siringa cærulea. 78
Seuetto odorato. 81
Spinacia fragifera. 85
Solis flos tuberosus. 91
Sacerdotum Mexicanorum unctio Diabolica. 99
Sant vocatur Acacia. 7
Spina arbor quid Atheneo. 13
Siliqua sylueſtris Clusij. 10
Seruius Grammaticus de Acacia. 13
Semen in siliqua an ferat Acacia. 15
Siliqua Acaciæ picta à Bellonio. 16
Siliqua Acaciæ picta ab Alpino. 16
Spina Babylonica. 20
Succi Acaciæ color. 21
Succus Hyiuccæ Venenum. 41
Spirituum separatio per deſtillationem. 44
Scaliger refellitur. 43
Succus Acaciæ quando colligendus. 22
Succi Acaciæ vis. 27. 28
Sciauſciau panis Hyiuccæ. 41
Scaliger taxatur. 42
Sapores non gignuntur ab igne. 44
Scaliger de Veneno ſucci Hyiuccæ refellitur. 41

Tindium ciuitas. 9
Tigridis flos in Europa non inſpectus. 12
Theophraſti, & Dioſcoridis de Balano diſſentio. 12
Tuberum indicorũ condiendi ratio. 91

Venenũ Hyiuccæ quale. 42. 44
Vas pro Oleo de Ben odorando. 79
Virga Moyſis ex Acacia. 25
Virgilij Acanthus bacciferа. 13
Vnio dicitur bacca. 15

Xylocinnamomum. 65

ENVMERATIO

Morborum Curabilium Remedijs,

In hoc Opere traditis.

Capillis denigrandis. 27
Acoribus in capite puerorum. 26
Oculorum defluxionibus. 27
Oculis procidentibus. 27
Oculis roborandis. 27
Oculorum inflammationibus. 27
Narium Hæmorragiæ. 29. 42
Dentium doloribus. 31
Dentibus roborandis. 31
Oris vlceribus. 27. 30
Labiorum fessuris. 27
Aurium vlceribus. 27
Somno conciliando. 59
Tussi. 21
Sputui sanguinis. 21. 27. 30
Hypocondriacis. 30
Mictui sanguinis. 30
Veneri excitandæ. 91
Pudendorum vlceribus. 30
Vteri procidentiæ. 26. 27
Mulierum immodicis purgationibus. 26. 27. 28. 29. 42.
Aluo emolliendæ. 57
Aluo purgandæ. 87
Alui fluxionibus. 26. 27. 28. 30.
Diarrheæ. 28. 30
Diſenteriæ. 28. 30
Ano foras procidenti. 26
Sedis vlceribus. 28. 30
Podagricis doloribus. 26. 27
Artubus ſolutis. 15
Articulis debilibus. 15. 27
Articulis fluxione tentatis. 15. 27
Articulis tumefactis. 26
Articulis inflammatis. 26
Pernionibus. 27
Pterygijs. 27
Ambuſtis. 26
Igni ſacro. 27
Vulneribus atrociſſimis. 47
Vulneribus dolentibus. 47
Vulneribus venenatis. 47
Vlceribus ſerpentibus. 30
Vlceribus difficilibus. 27
Puſtulis exiccandis. 26. 27
Puſtulis Gallicis. 26. 27
Corpori impinguando. 91

FINIS.